MANVALE EXORCISMORVM:

Continens INSTRVCTIONES, & EXORCISMOS ad eiiciendos è corporibus obſeſſis ſpiritus malignos, & ad quæuis maleficia depellenda, & ad quaſcumque infeſtationes dæmonum reprimendas:

R. D. MAXIMILIANI AB EYNATTEN S. T. L. Canonici & Scholaſtici Antuerpienſis induſtria collectum:

Reuerendiſſ. aliquot BELGII ANTISTITVM aliorumque doctorum virorum iudicio recenſitum & probatum.

Z BIBLIOTEKI SEMINARIUM SANDOMIERSKIEGO
41116

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem Moretum, & Viduam Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.
M. DC. XIX.

Applicatur Bibliotheca Conventus Clirunt. 1797.

LECTORI
S. P.

ANVALE hoc Exorcisticum, benigne Lector, diuiditur in tres partes.

Prima pars continet Instructiones & generalia documenta Exorcistis obseruanda.

Secunda pars habet modum & praxim exorcizandi energumenos seu obsessos à dæmone, cum Precibus, Exorcismis, & aliis eò spectantibus.

Tertia pars tradit modum tollendi maleficia & incanta-

tiones, quibus homines tam in propriis corporibus, quàm in aliis bonis, permiſſu Dei, infeſtantur. Adiunguntur remedia contra infeſtationes ſpirituum in domibus ſeu aliis locis, & indicia vnde diſcerni queant apparitiones bonorum ſpirituum & malorum. Subiunguntur Benedictiones rerum vtenſilium pro energumenis & maleficiatis. Quæ omnia ſunt collecta ex Miſſali, Pontificali, & Rituali Romano, Paſtorali Mechlinienſi, & aliis probatis Auctoribus. Ex quâ collectione ſeliget ſibi prudentia Exorciſtæ,

quæ

quæ pro occurrenti necessitate magis videbuntur opportuna. Caueat tamen, ne formulis vtatur à suo Ordinario non approbatis.

APPROBATIO.

MANVALE *hoc Exorcismorum industria R. D. Maximiliani ab Eynatten S.T.L. Canonici & Scholastici Ecclesiæ nostræ Cathedralis collectum, ac aliquorum Ordinariorum, aliorumq; doctorum virorum iudicio recognitum, emendatum & probatum, vtiliter typis euulgabitur; vt eo vtentes Exorcistæ, prætermissis qui passim circumferuntur Exorcismorum libris minus probatis, ad Dei gloriam & animarum salutem feliciter contra antiqui hostis infestationes suo munere fungantur. Datum Antuerpiæ die* XXIII. *Junij*, M. DC. XVIII.

Ioannes Episc. Antuerpiensis.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARAE EVGENIAE, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum est: nequis, *Manuale Exorcismorum*, R. D. MAXIMILIANI AB EYNATTEN S.T.L. *Canonici & Scholastici Antuerpiensis industria collectum, Reuerendiss. aliquot* BELGII ANTISTITVM, *aliorumque doctorum virorum iudicio recensitum & probatum*, præter Balthasaris Moreti voluntatem intra sexennium imprimat, aut alibi excusum in Inferioris Germaniæ ditiones venale importet; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, VII. Augusti, M. DC. XVIII.

Signat.

De VVitte.

ORDO ET INDEX HVIVS MANVALIS.

PARS PRIMA,

Varias INSTRVCTIONES continens. pag. I.

INSTRVCTIO I.

DE requisitis in Exorcista, & debitis præparationibus ante exorcizationem. pag. I.

INSTRVCTIO II.

De variis signis & effectibus, ex quibus quis dignoscitur dæmoniacus vel maleficiatus. 4.

Ex eruditorum quorumdam sententia alia de iisdem signis & effectibus INSTRVCTIO. 10.

INSTRVCTIO III.

De signis & effectibus maleficij, & quomodo discerni possint maleficia ab aliis naturalibus morbis. 12

IN-

INSTRVCTIO IV.
A quibus Exorcista in adiuratione debeat abstinere: vbi etiam agitur de interrogationibus faciendis vel non faciendis. 17.
INSTRVCTIO V.
De loco & tempore quibus energumeni sunt exorcizandi. 20.
INSTRVCTIO VI.
De qualitatibus exorcizandorum, & debita præparatione eorumdem. 21.
INSTRVCTIO VII.
De aliis quibusdam, in quibus adhuc instruendi sunt energumeni vel maleficiati. 29.
INSTRVCTIO VIII.
De variis technis dæmonum prænoscendis & præcauendis. 32.
INSTRVCTIO IX.
De iis quæ debet Exorcista obseruare circa & post egressum dæmonum è corporibus obsessis. 34.

PARS SECVNDA,

Continens praxim & modum exorcizandi energumenos, seu vexatos aut obsessos à dæmone, cum Precibus & Adiurationibus requisitis. 37.

MODVS *exorcizandi ex Rituali Romano, Pauli V. Pont. Max. iussu edito.* 37.

Modus exorcizandi ex Pastorali Mechliniensi. 75.

Altera forma Exorcismorum ad fugandum dæmonem de corporibus oppressis, vel etiam maleficiatis, ex dicto Pastorali Mechliniensi. 87.

Orationes & Exorcismi, ad iuuandum energumenos & alios maleficiatos, ex probatis Auctoribus desumpti. 98.

Exorcismus, dicendus (si commodè fieri poterit) coram venerabili SACRAMENTO *exposito in altari.* 105.

Exor-

Exorcismus per Sacramenta. 116.
Exorcismus præmittendus quando Exorcista iudicat expedire vt aliqua à dæmone interroget. 123.
Exorcismus per inuocationem beatissimæ Virginis MARIÆ. 126.
Exorcismus per inuocationem sanctorum ANGELORVM. 134.
Exorcismus per inuocationem DEI *&* SANCTORVM *eius.* 141.
Alia formula exorcizandi obsessos & maleficiatos. 151.
Exorcismus ad compellendum dæmonem vt restituat chirographum quo homo se illi obligauit. 181.
Exorcismus ad compellendum dæmonem vt traditam sibi ab homine Eucharistiam restituat. 184.
Gratiarum actio, liberato dæmoniaco. 188.

PARS

PARS TERTIA,

Continens modum & praxim exorcizandi & curandi ſpiritualiter omne genus maleficiorum ſeu incantationum, quibus homines in propriis corporibus, & aliis bonis externis, à malis ſpiritibus vel maleficis ope dæmonum affliguntur. 194.

EXORCISMVS *pro maleficiato in proprio corpore.* 194.

Alia formula exorcizandi maleficiatos quoſcumque. 202.

Remedia contra febres, peſtem, & alias infirmitates naturales. 213.

Remedia ſpiritualia contra philtra amatoria. 217.

Remedia ſpiritualia pro impeditis per maleficia, ope dæmonum, in matrimonio. 220.

Remedia ſpiritualia contra Succubos &

Incu-

Incubos. 230.
Modus exorcizandi circa quæuis animalia per maleficia & veneficia afflicta. 232.
Exorcismus contra maleficia lacticiniorum, & aliorum comestibilium, frugum, &c. 243.
Exorcismus pro lacte. 245.
Exorcismus pro butyro. 246.
Exorcismus contra inuisibilem lactis, butyri, vel aliarum rerum per incantationes ablationem. 247.
Exorcismus contra imminentem tempestatem tonitruorum, fulgurum, grandinum, ventorum, &c. 250.
Exorcismus contra quæcumque noxia animalia, vermes, mures, serpentes, & alia quæcumque agros vel aquas extraordinariè inficientia & corrumpentia. 262.
Modus discernendi apparitiones spirituum, vtrùm boni sint an mali: cum remediis & Exorcismis contra spiritus malos infestan-

festantes domos vel alia loca. 269.
Exorcismus domus à malis spiritibus vexatæ. 271.
Alia formula benedicendi domum infestatam à malignis spiritibus. 287.
Formulæ benedicendi tam comestibilia quàm alia quibus vtuntur energumeni, vel maleficiati, desumptæ ex Pontificali, Missali, & Rituali Romano, & ex Scriptura sacra. 295.
Ordo ad faciendam Aquam benedictam. 296.

Benedictio
- Salis. 299.
- Panis. 300.
- Agni & aliarum carnium. ibid.
- Ouorum. 301.
- Quorumcumque fructuum. ibid.
- Cuiuscumque comestibilis. 302.
- Vini, Ceruisiæ, vel alterius

Benedictio
- rius potabilis materiæ. ibid.
- Vino propria. 303.
- Olei. 304.
- Quarumcumque Medicinarum. 305.
- Thalami. 306.
- Cubiculi. 307.
- Ignis quo cremabuntur signa malefica inuenta. 308.
- Thuris seu Incensi. 309.

Benedictiones ad quæcumque volueris assumenda in humanum vsum per modum cibi, potus, vel medicinæ. 310.

LVCÆ X.

In hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

MANVALIS EXORCISMORVM PARS PRIMA,

varias INSTRVCTIONES *continens.*

INSTRVCTIO I.

De requisitis in Exorcista, & de debitis præparationibus ante exorcizationem.

QVICVMQVE desiderat, habitâ licentiâ à Superiore, facilè & sine periculo suæ & aliorum salutis, opus exorcizationis (maximi meriti & misericordiæ) exercere, debet cogitare se habere negotium cum antiquo & astuto hoste, forti & nequissimo: aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Agnoscet itaque propriam infirmitatem, & assumet arma spiritalia, quæ D. Paulus subministrat ad Ephes. 6. & 1. ad Thess. 5. & D. Petrus 1. cap. 5.

Prima & præcipua armatura quam habere debet Exorcista, est viua & indubitata fides cum fiducia in Deum & Saluatorem

nostrum Iesum Christum: in Dei enim digito eiiciet dæmonia, & conculcabit leonem & draconem.

Et licet Exorcista operetur in persona Ecclesiæ, & eatenus eius preces sint gratæ Deo, & exaudiantur; nihilominùs tamen debet allaborare vt habeat purissimam conscientiam, emundatam per veram contritionem & Sacramentalem confessionem: tum vt tantò sit gratior Deo, faciliusque impetret quod petit; tum ne diabolus eum confundat, aut aliquam in eum potestatem habeat, cùm notum sit ex Scripturis, quantam & quàm magnam habeat vexandi & nocendi vim contra peccatores.

Necessariò etiam debet habere veram humilitatem, certò sciens se solùm instrumentum indignum esse quo vtitur Deus pro salute proximi afflicti: & nihil se posse absque eius singulari assistentia & auxilio. Per hanc excludet omnem vanam gloriam, nec quæret laudari aut videri ab hominibus; sed gaudebit in augmento gloriæ Dei, & attendet dictum Saluatoris dicentis Apostolis: Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Hæc debet esse eius principalis intentio, non autem lucrum aliquod temporale,

Luc. 10.

vel

vel ſimilis reſpectus ſordidus. maximè autem caueat, ne ſuperbiat de poteſtate ſua in dæmones: narrat enim S. Gregorius lib. 1. cap. 9. Dialogorum, quemdam Preſbyterum à dæmone fuiſſe poſſeſſum, quia arrogabat ſibi virtutem eiiciendi dæmones.

Reuocabit mentem & ſpiritum à curis & negotiis ſæcularibus, eamque pacatam & tranquillam reddere ſtudebit meditationibus piis & precibus.

Et quoniam Saluator noſter nos docet Matth. 17. hoc genus dæmoniorum non eiici niſi per orationem & ieiunium, hæc & alia ſub iiſdem comprehenſa opera bona, pro ſe & ſuis afflictis impigrè exercebit: & numquam ad exorcizandum accedet, niſi præuio ieiunio, vel aliis pœnitentiæ & ſatiſfactoriis operibus, niſi præſens neceſſitas aliud videatur exigere. Inceſſanter orabit etiam priuatim, alioſque ad prædicta bona opera & pietatis exercitia inuitabit, eleemoſynaſque elargiri curabit.

His & aliis virtutum armis inſtructus, intrepidè & ſecurè accedet debellaturus hoſtem communem. Cauebit Exorciſta omnis, alias preces & cærimonias, quantumcumque piæ & bonæ appareant, quàm quæ in approbato Manuali præſcribuntur, adhibere, niſi obtentâ veniâ & conſulto Ordi-

nario, memor exempli filiorum Sceuæ Iudæi Act.19. qui male & infeliciter hac potestate abusi fuerunt.

Non temerè aut facilè Exorcista iudicabit vexatum aliquem, etiamsi miris & extraordinariis, vt ipsi apparebit, modis vexetur, esse energumenum aut maleficiatum: sed negotium seriò perpendet ex signis & indiciis, de quibus infrà; omnesque circumstantias prudenter obseruabit. Multò minùs morbos tam hominum quàm animalium, etiam insolitos, & ipsi incognitos, aut damna frugibus & aliis bonis externis obuenientia, statim incantationibus aut maleficiis attribuet; nec afflictos hoc opinantes in illa mox opinione relinquet aut confirmabit; aut afflictorum huiusmodi vicinis aut aliis notis vel ignotis imputabit, aut imputari permittet: sed omnem sinistram opinionem aut suspicionem contra proximũ, ab eorum animis amouebit; vt hac ratione tollat & auertat rixas, inimicitias, odia, & his peiora.

INSTRVCTIO II.

De variis signis & effectibus, ex quibus quis dignoscitur dæmoniacus vel maleficiatus.

QVONIAM multa signa obsessorum & maleficiatorum, sunt communia cum morbis & infirmitatibus naturalibus; quia dæmon

dęmon vt creaturas Dei in odium traducat, vel vt faciliùs ipſe lateat, ſępè miſcet ſe morbis naturalibus; non ſtatim Exorciſta ſuo iudicio, velipſorum afflictorũ dictis credet, vel iudicabit aliquem eſſe obſeſſum aut maleficiatum: ſed circumſpiciet & perpendet ſingula prudenter; ſuumq; habebit recurſum ad peritos Medicos & Theologos. Si deprehendat malum cauſari ab humoribus peccantibus, & omnino eſſe naturale, oſtendet & perſuadebit idipſum afflicto, illumque ad Medicos remittet.

In examine & diſquiſitione vtrùm quis ſit obſeſſus à dæmone corporaliter, iuuabit inquirere cauſam quare diabolus putetur ingreſſus: quæ licet aliquando ſit ſolius Dei gloria, & affligentis meriti augmẽtum; ordinariè tamen in cauſa ſunt peccata, ſæpiſſimè deſperatio ex amiſſione bonorum vel rerum temporalium, vel nimia familiaritas cum dæmone, vel cum hominibus qui cum eodem commercium habent: etiam nimis addictum eſſe ſuperſtitionibus: aliquando mala imprecatio parentum, aut ignoratio earum rerum quibus contra tentationes dæmonum munimur: interdum nimia anxietas vel ſcrupuloſitas, per quam ad varias perturbationes miſeri homines rediguntur, niſi tempeſtiuè conſulant peritos

Confeſſarios; prout etiam euenit tentatis aliis variis tentationibus.

Secundò inquiret Exorciſta de modo, quomodo putetur ingreſſus. Solent aliquãdo dæmones, antequam corpora ingrediantur, hominibus apparere in aliqua terribili forma, idque de nocte, vel in locis opacis & ſolitariis: aliquando ſomnia horribilia dormientibus immittunt, illoſq; terrent: quandoque ingrediendo corpora miſerabiliter dilacerãt. Ingrediuntur aliquando per modum venti, aut in forma muris aut ſimilis animalculi: aliquando videtur quòd quaſi vas aquæ frigidiſſimæ in dorſum effundatur, vel per totum corpus à capite vſque ad pedes aliquid diſcurrat.

Sed quia in multis hominibus, præſertim feminis, magnam vim habet imaginatio & variæ apprehenſiones phantaſticæ, quæ mira ſæpè operantur in corporibus; his prædictis, & ſimilibus non ita inſiſtet vel ſemper credet Exorciſta, quin alia veriſimilia ſigna requiret concurrentia cum prædictis; qualia quædam ex ſacra Scriptura & aliis probatis Auctoribus hîc adiunguntur.

Ex Scriptura ſacra patet, aliquos energumenos indies reddi obſtinatiores contra Deum, & in iis quæ ad Dei ſeruitium ſpectant, magiſq; inobedientes, exemplo Saulis

lis 1.Reg.18. aliquando etiam variis morbis ſubitò afficiuntur, Matth.8.& 17. Marc.9. Lucæ 11.ſtrident dentibus; in terram extraordinariè eliſi volutantur, & variè affliguntur; ſpumant ore, ad necem ſibi inferendam tentantur; in ignem & aquam aliquando proiiciuntur, prout hæc patent ex diuerſis Scripturæ locis. Aliquando etiam ad tempus in furorem agũtur, Act.19. Præterea obſeruabit Exorciſta, vtrùm vexatus in præſentia rerum ſacrarum, vt Crucifixi, Reliquiarum, &c. imò & ipſius Exorciſtæ, verè & non fictè turbetur. poterit autem magis præſumi verè turbari, ſi ignoret præſentiam Reliquiarum vel aliarum rerum ſacrarum. Solent etiam omnia ſpiritalia odio habere. Eccleſiam ingredi nolunt; vel ſi ingrediantur, ſtatim inde fugiunt. Aqua benedicta vti recuſant. Sanctorum imagines, præſertim Crucifixi, aſpicere aut deoſculari nolunt. Verba ſacra nequeunt proferre, nec audire volunt. Si cogantur aliquam cærimoniam Eccleſiæ peragere, vel diuinis intereſſe officiis, potiſſimum ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, vehementiùs vexantur: & quãdo mentis compotes ſunt, optãt & fatentur ſe velle hæc facere, & Sacris intereſſe, & ſacrarum rerum auxilium deſiderare; ſed eſſe quippiam in ipſis quod ipſos impediat.

Licet etiam indicium ſumere ex oculis & vultu, quos ordinariè hábent ſolito terribiliores. Ex ſermocinatione, ſi blaſphement contra Deum & Sanctos, ſi conuitiis proximos ſine cauſa proſcindant, aliaque abſurda pręter ſolitum proferant; maximè ſi loquantur idiomatibus extraneis quæ numquam didicerunt vel ſciuerunt, aut alios ſic loquentes intelligant; ſi norunt loqui & tractare ſubtiliſſimè de profundiſſimis noſtræ Fidei myſteriis, ſacras Scripturas interpretari, &c. Si renuntient occulta, aut iam pridem oblita, futura, occulta vel arcana conſcientiæ, vt peccata occulta imaginationeſque aſſiſtentium; ſi artes quas numquam didicerunt vel exercuerunt norint. Aliquando etiam econtrà redduntur planè ſtupidi & inſenſati.

Non rarò etiam dæmon in aliqua parte corporis palpitando ſicut piſcis aut formica aut alia forma ſentitur. Interdum ipſi afflicti ſentiunt per totum corpus inter carnem & pellem diſcurrentes tamquam formicas. Aliquibus totum corpus quaſi continuis acubus pungitur; vel velut flatus à capite ad pedes deſcendit, & iterùm aſcendit. Interdum veſicula in lingua excitatur, quæ confeſtim diſparet, vel plures apparent ſimiles minutis granis. Quibuſdam ad gulam diabolus

bolus aſcendit, & eam extraordinariè tumefacit, & ſiccam tuſſiculam excitat, vel linguam extorquet miris modis, vel eamdem exerit ingenti oris hiatu. In aliis diuerſorum animalium voces imitatur: aliaque quàm plurima ſigna facit in corporibus obſeſſis, quæ facilè aduertet prudens Exorciſta; illumque reddent moraliter certum de veritate rei, præſertim ſi plura ſigna ſimul concurrant.

Maior eſt difficultas in quibuſdam obſeſſis, in quibus dæmones ſub ſpecie diuerſarum infirmitatum ſolent ita latere, vt difficulter diſcerni queat, vtrùm quis ſit obſeſſus, nec ne. In huiuſmodi perplexitate & dubio recurret Exorciſta ad Deum per preces; ieiuniiſque & aliis piis operibus munitus, per exorciſmos conabitur ſpiritibus immundis latentibus vires reſiſtendi auferre. Ad quod conferet, ſi afflictus etiam ex toto corde ſe conuertat ad Deum, frequenter confiteatur, & ſacram Communionem deuotè ſuſcipiat, & eleëmoſynis dandis & aliis piis operibus ſtudeat Exorciſtæ opus promouere.

Ex eruditorum quorumdam ſententia alia de iiſdem ſignis & effectibus INSTRVCTIO.

SIGNA quibus obſeſſi dignoſcuntur, ſunt in triplici genere: quædam pariunt ſolùm ſuſpicionem, alia coniecturam vehementiorem, alia deniq; certitudinem nonnullam.

Primi generis ſunt, 1. Mutatio ſubita in mores ferinos & agreſtes. 2. Somnus grauis. 3. Se conſecraſſe dæmoni. 4. Inuocatio diaboli vt ſe arripiat. 5. Furia. Fallunt ſæpè eiuſmodi ſigna; aliquod tamen indicium faciunt accedentibus aliis, & dant occaſionem inquirendi de aliis.

Secundi generis ſunt. 1. Barbaræ & inſolitæ vociferationes & vlulatus belluini. 2. Horribilis & truculentus vultus. 3. Stupor membrorum, & omnium ferè vitalium operationum priuatio. 4. Ingens inquietudo, adeò vt vno loco nequeat afflictus conſiſtere, ſed ſolitudines quærat, & deſertis locis oblectetur. 5. Vires in corpore humano facultatem hominis excedentes. 6. Si variè torqueatur & deiiciatur, nunc in ignem, nunc in aquam, nunc ex alto pręcipitetur, nunc ſe cultris laceret, nunc laqueo vel alio modo ſibi vitam adimere tentet.

Tertij generis ſunt, 1. Peregrinarum linguarum

guarum ſubitanea ſcientia extra ſuſpicionem diuini miraculi. idem iudicium de ſcientia legendi, ſcribendi, cantandi artificiosè. 2. Si loquantur de rebus ſublimibus quas non didicerunt. 3. Si ſecreta reuelent quæ ſcire non potuerunt homines ſed dæmones, vt ſunt occulta peccata: aut referũt quædam quæ locis diſtantibus fiunt. Vt tamen hoc ſignum certum ſit, debet abeſſe ſuſpicio pacti cum dæmone, quale habent diuinatores, qui ſimilia produnt, & tamen poſſeſſi non ſunt. 4. Si poſtquam ceſſant vexari, neſciant reſpondere de his occultis de quibus locuti ſunt: ſignum enim eſt, non tam ipſos quàm dęmones per ipſos fuiſſe locutos. 5. Si omnino prohiberi nequeant ne loquantur. 6. Si iuſſi inuocare Dei nomen, nomen IESV, aut alicuius Sancti, id facere nequeant: ſi recitare non poſſunt Pſalmum aut Orationem aliquam deuotam: ſi concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blaſphement adhibitis Reliquiis Sanctorum, aut Agno Dei, cereo benedicto, Cruce fronti impreſſa, aſperſi Aqua benedicta, adhibita ſacra Euchariſtia, aut in aurem pronuntiato verſiculo illo Cantici Moyſi: Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. ſi exorciſmos non ferant, ſi ad ingreſſum Eccleſiæ

tumul-

tumultuentur: denique si Euangelium audire, diuinis interesse vix cogi possint.

INSTRVCTIO III.

De signis & effectibus maleficij, & quomodo discerni possint maleficia ab aliis naturalibus morbis.

PRÆTER ea quæ dicta sunt superiori Instructione, quæ huic etiam quæstioni ex parte deseruiunt, obseruabit curam animarum habens, vel Exorcista, maiorem esse incertitudinem gnorum maleficij quàm possessionis aut obsessionis: proinde cautè & circumspectè in hoc negotio procedet, ne cadat in varia inconuenientia præcipitanti suo iudicio (de quibus latiùs in Instructione 1.) nec facilè de huiusmodi malis absolutè aliquid statuet sine præuio cõsilio Medicorum: verùm, quia experientia docet, plerosque Medicos ferè omnia mala & accidentia hominibus obuenientia attribuerè noxiis dispositionibus corporum, & rarissimè iudicare aliquem veneficio diabolico infectum, Exorcista non semper ita absolutè stabit iudicio Medici; quin etiam ex signis & indiciis infrà positis, & aliis variis circumstantiis, prudenter iudicabit de huiusmodi malis, consultis in grauioribus peritiori-

tioribus Theologis in hoc genere versatis. Et si omnibus consideratis videat ex maleficio morbum ortum habere, quantum in ipso erit, iuuare & alleuamen afflicto conferre conabitur per vsitata Ecclesiæ remedia: de quibus in III. Parte huius Manualis.

Signa præcipua veri maleficij sunt hæc:

Primò, Si periti Medici non cognoscunt morbum vel malum quo afflictus laborat, nec aliquid certi de illo norint vel possint iudicare, nec remedia conuenientia adhibere, vel si adhibita videantur non solùm non prodesse, sed potiùs malum augere.

Secundò, Quòd morbus sit valdè inconstans, & licet periodorum naturam referat, rarò tamen periodos seruet; & licet similis videatur naturalibus morbis, in multis tamen discrepet, vtpote quòd instar naturalium morborum non crescat paulatim, sed statim ab initio, nullis præexistentibus peccantibus humoribus, cum grauissimis symptomatibus & doloribus prodeat: quòd ægrotans grauissimè doleat, in qua tamen parte doleat, referre nequeat: quòd sæpè emittat luctuosa suspiria absque manifesta causa.

Tertiò, Solent præterea veneficio læsi habere oculos constrictos, totam cutem, præcipuè faciem, vt plurimùm flauo seu cinereo

nereo colore ſuffuſam, humores deſiccatos, & totius corporis extenuationem & extraordinariam maciem, virium imbecillitatem cum ſummo languore. Omnia membra videntur habere ligata & conſtricta, pręſertim cor & os: videntur ſibi habere bolum in orificio ſtomachi, vel aliquid inſtar boli videtur in guttur aſcendere & deſcēdere. Extraordinarias inſtar acuum puncturas ſentiunt in corde, vel aliis partibus corporis. Aliquando cor illis quaſi corroditur, & renes dilacerantur.

Quartò, Solet inſtar venti frigidiſſimi, vel etiam flammæ, per ventrem aliquibus diſcurrere cum torſionibus acerbiſſimis.

Quintò, Solent aliqui ad venerem reddi impotentes præter naturam.

Sextò, Maleficiati vt plurimùm præter naturam toto corpore extraordinariè extenuantur & debilitantur cum ſummo languore, & mentis ſtupiditate, & variis melancholicis deliriis. Laborant etiam diuerſis febrium generibus, Medicis multum negotiis exhibentibus: habent conuulſiones ita vt Epileptici videantur. Aliquando omnes capitis partes tumefiunt, aut talem circa totum corpus ſentiunt laſſitudinem vt vix ſe mouere poſſint.

Septimò, Veneficio affecti, ſæpè faciem

Sacer-

Sacerdotis vix aſpicere valent, oculis ſaltem intentis, & album oculorum variis modis illis immutatur.

Prudenter & diſcretè Exorciſta deſumet indicium veneficij ex ſigno quod quidam tradunt; nimirum quòd quando venefica ad viſendum ægrotum accedat, ſtatim infirmum ingenti moleſtia affici, terrore & tremore corripi: ſi puer ſit, ſtatim plorare; oculóſve ad fuſcum colorem mutare, vel alias mutationes notabiles in ægrotis obſeruari. Si quando illa ſigna aduertit, cauebit illa indicare parentibus aut amicis, vel aliis aſſiſtentibus, ne hinc det occaſionem ſcandali malæ ſuſpicionis, rixæ, odij, aut aliorum incommodorum: ipſe autem pro diſcretione ſua illis vti poterit in ſuum bonum finem.

Licet præter prædicta ſigna ſumpta ab effectu, & alia conſiderare ſumenda à cauſâ morbi vel mali inflicti; vt ſi morbus vel malum cœperit ex intenſiſſimo alicuius amore, vel magno & iniquo odio: ſi pręcedentibus maledictis vel minis alicuius ſuſpecti de maleficio, ſubitò oriatur; ſi inſtrumenta maleficij inueniantur.

Aduertat autem Exorciſta, non fore neceſſarium vt omnia hæc ſigna in ægro inueniantur, ſed ſufficere ſi aliqua pro diuerſita-

te

te morbi seu maleficij concurrant, quæ moralem aliquam certitudinem, vel magnam probabilitatem dant. Maximè attendet ad iudicium Medicorum, qui licet absolutè non iudicent malum esse à maleficio; si tamen de eo dubitent, hæsitent, & ambigui huc illuc animo agitentur, nec quidquam certi de illo norint, vel audeant proferre; in remediis applicandis varient, & nihil solaminis adferant; signum erit esse veneficium operâ dæmonum illatum, modò saltem concurrant alia signa superiùs posita.

Licet Exorcistæ foret moraliter certum, aliquem morbũ esse à maleficio, vel quempiam esse obsessum, non ideò debet reiicere medicamenta naturalia, vel illa dissuadere; sed dando primas spiritualibus remediis, procurabit etiam vt afflictus subinde ex præscripto Medici vtatur huiusmodi medicinis, quæ corpus eius possunt reddere minùs aptum vexationibus dæmonum: nam licet nulla sit naturalis rei corporeæ vis quæ dæmoni possit præualere, aut directè in illum aliquid agere, teste sacrâ Scripturâ Iob 41. indirectè tamen & mediatè naturalia possunt iuuare contra eius conatus, impediendo vel auferendo dispositiones illas quibus dæmon delectatur vel vtitur ad nocumen-

cumẽtum, iuxta Lyran. in 1. Reg. 16. Huiusmodi tamen remediis naturalibus nullo modo se intromiscebit Exorcista, sed illa committet peritis Medicis. sed bonum erit, vt antequam applicentur vel sumantur, priùs benedicantur ab Exorcista vel alio Sacerdote, iuxta illud Adriani Papæ I. Elementa quoq; tam ea quæ prędiximus, quàm cetera diuinis apta vsibus, & humanis necessaria infirmitatibus sacrate, infirmos curate, & cetera quæ ad vos pertinent diligenter perficite.

INSTRVCTIO IV.

A quibus Exorcista in adiuratione debeat abstinere: vbi etiam agitur de interrogationibus faciendis vel non faciendis.

IN applicatione Reliquiarum & aliarum rerum sacrarum, maximè Venerabilis Sacramenti, obsessis aut infestatis à dæmone, Exorcista adhibebit debitam reuerentiam & circumspectionem, ne aliqua irreuerentia committatur. Cauebit etiam tam ipse Exorcista quàm afflictus, ne admisceant superstitiones, vel superstitiosè illis abutantur, vel ne maiorem rebus sacratis tribuant efficaciam quàm mater Ecclesia similibus tribuendam docet, vel ne aliquid faciant

vnde diabolus possit sumere occasionem introducendi in animos circumstantium errorem circa venerationem Sanctorum, Reliquiarum, & aliarum rerum sacrarum, vel imminutionem reuerentiæ & honoris debiti. Non nisi certis & ab Ordinario approbatis vtetur Reliquiis.

Ipsum Venerabile Sacramentum Eucharistiæ rariùs actu applicabit obsessis, & non nisi exigente necessitate vel euidenti vtilitate; & tunc non nisi cum maxima reuerentia & deuotione, adhibitis luminaribus & sonitu campanulæ, & aliis circa tantum Sacramentum exhiberi solitis.

Tutius erit solùm exponere dictum Sacramentum in altari, & coràm inferiùs ante altare obsessos exorcizare.

Abstinebit Exorcista à curiosis, leuibus, & superfluis actionibus & interrogationibus, solumque ea aget & interrogabit, quæ putabit necessaria vel multùm expedientia ad iuuandum afflictum, vel ad repellendum nocumentum à se vel à circumstantibus, vel quæ prudenter iudicabit cessura in augmentum gloriæ Dei, & proximorum salutem. Poterit itaque inquirere ex parte Dei, vtrùm sint multi dæmones, vel pauci: vel quot sint in corpore obsesso: ob quam causam fuerint ingressi, vt contrarium remedium

dium applicetur: si sint ibidem ex aliquo pacto vel maleficio: si aliquod signum maleficij vel pacti sit datum, vel alibi positum: & similia, quæ prudens Exorcista vel ex discretione sua, vel aliorum peritorum consilio, iudicabit expedire. Postquam aliquam interrogationem instituerit, non facilè desistet, etiamsi dæmon recuset respondere, sed prosequetur legitimis exorcismis extorquere (si Deo placuerit) obedientiam, ne reddatur proteruior contra ministrũ Christi spiritus malignus. Nec putabit Exorcista in vocis contentione aut passionum vel affectuum suorum excitatione vim exorcismi consistere, quibus aliqui frustrà se fatigant; cùm in excitatione fidei, spei, charitatis & deuotionis in Deũ pręcipuè sit elaborandũ.

Si quando Exorcista vtetur vel applicabit afflicto aliqua verba sacra, vel ipsam Scripturam sacram, vel Euangeliorum librum, obseruabit ea quæ habẽtur infrà Instruct. 6. & habebit dumtaxat respectum ad ipsa verba sacra & eorum intellectum, & effectum exspectabit à Deo auctore & dictatore eorum. Similiter in inuocatione Sanctorum, adhibebit illos & inuocabit tamquam intercessores & patronos nostros, cum fiducia, quòd Deus per intercessionem ipsorum ipsum exaudiet & concedet postulata.

INSTRVCTIO V.

De loco & tempore quibus energumeni ſunt exorcizandi.

EXORCIZATIO ſemper vel ordinariè fiat in Eccleſia, vel alio loco Deo ſacro: niſi grauis & vrgens cauſa dictet in domo priuata faciendam.

Arceantur pueri & mulieres, niſi quæ neceſſariæ pro adiutorio & ſeruitio feminæ exorcizandæ. Item curioſi, mundani & vani homines, in quantum fieri poterit, exemplo Saluatoris Marc. 7. & 8. & Luc. 8.

Exorciſta nihil faciat ſine teſtibus ſiue in Eccleſia, ſiue in domo priuata, procurabitque vt adſint viri graues & pij, præſertim clerici, Sacerdotes, vel Religioſi, ſi haberi poſſint, qui non ſolùm erunt teſtes ſacrarum actionum, ſed etiam ipſum iuuabunt orationibus & piis deſideriis.

Caueat vmquam ob quemcumque reſpectum vel cauſam ſolus cum ſola energumena manere, vel illam exorcizare, etiam ſi foret ſenex & decrepita ætate.

An autem dæmoniaci ſint publicè & apertis ianuis exorcizandi, vel ianuis clauſis, committitur diſcretioni & prudentiæ Exorciſtæ, eò quòd huius deciſio ſæpè dependeat

ex

ex variis circumſtantiis locorum, perſonarum, & aliarum rerum. Ceſſantibus incommodis, poſſet, & forſitan deberet fieri publicè apertis ianuis, exemplo Saluatoris & Eccleſiæ, quæ omnes ſuas functiones ſacras palàm peragit; eoque magis, quòd exorciſmus ſit actus Ordinis; deinde, quòd multa bona ſpiritualia inde fidelibus proueniant; fides roboretur, Dei miſericordia & poteſtas manifeſtetur, peccatores ad pœnitentiam & compunctionem moueantur, & multæ aliæ virtutes animis hominum ingenerentur.

Licet hoc charitatis officium poſſit & debeat omni tempore fieri, neceſſitate vel charitate proximi afflicti id exigente; magis tamen opportunum eſt matutinum, poſt celebratum Sacrum: & quò dies ſunt celebriores, eò frequentiùs & magis huic operi inſiſtendum.

INSTRVCTIO VI.

De qualitatibus exorcizandorum, & debita præparatione eorumdem.

QVONIAM Exorciſta fungitur officio Medici, cuius eſt non ſolùm applicare pharmaca & medicinas, ſed etiam amouere & tollere noxia & impediẽtia facilem cura-

tionē;non solùm debet esse solicitus vt energumenus vel maleficiatus exorcizetur, sed etiam debet tollere & remouere ea omnia quæ suo fini possunt obstaculum seu remoram iniicere. Proinde aduigilabit vt afflicti non recurrant ad impostores, ariolos, magos, & similes impios homines, nēve illis vltrò fortè se ingerentibus aliquam fidem adhibeant, vel audiant, nec malum suum facilè vicinis vel aliis notis vel ignotis imputent; sed illos monebunt & docebūt exemplo Iob & aliorum Sanctorum, mala sua de manu Dei suscipere, suisque peccatis adscribere, & vt totaliter se resignent in voluntatem misericordissimi Dei, ad patienter ferendam istam afflictionem: eiusq; bonitati humiliter supplicent, vt non velit secundùm peccata & iniquitates ipsorum ipsis retribuere: & vt ipsos liberare dignetur à malis, si animarum ipsorum saluti expediat. Adhortabitur ne animum despondeant, etiamsi statim non exaudiantur, & licitis Ecclesiæ remediis non iuuentur; sed vt instent orationibus, eleëmosynis, & aliis piis operibus, cogitantes Deum Opt. Max. etiam ea quæ concedere cupit, sæpè differre ad tempus, tum vt desideria dilatione crescāt, tum etiam ne citò datum vilescat. Studebit quotidie in illis excitare veram & viuam fidem,

hoc

hoc est charitate Dei & proximi vallatam, præbente nobis hoc scutum & loricam hãc Apostolo ad Ephes.6. & prioris ad Thess.5. de quibus plura apud Cassianum & Cypr. ad Fortun.de Exhort.martt. Lactant.lib.2. c.15.Nazianz.Orat.in Cyp.& alios Patres.

Si afflicti non forent baptizati,vel ritibus Ecclesiæ ante Baptismum adhiberi solitis non exorcizati, curabit Exorcista ante omnia vt iuxta ritum Ecclesiæ baptizentur, vel vt dictæ cærimoniæ omissæ vel neglectæ suppleantur. Si dubium sit vtrùm sint baptizati nec ne, baptizentur sub conditione; non tamen id fiat, nisi dubium sit probabile: nam ex leuibus coniecturis id putare non sufficit,ne ad conditionale quidem lauacrum,verbi gratia,tantùm quia quis noctu somnians ambulat, vel quia maleficiatus est, non concurrentibus aliis probabilibus indiciis veri dubij. De huius remedij efficacia vide Ecclesiasticas historias, & D.Antonin.hist.par.2.tit.20.cap.8.

Si non sint confirmati,debent confirmari. Vim huius Sacramenti in deiiciendis satanæ machinationibus docet Lact. lib. 4. Diuin. instit. cap. 27. Nazianz. Orat. 1. in Iulianum.

Adhibebunt frequentem, deuotam, & dolorosam suorum peccatorum confessio-

nem. Consulatur Beda in 8. cap. Lucæ, Ioan. Diac. lib. 1. vitæ S. Gregor. cap. 11. 12. & 13. & alij.

Sument frequenter cum maxima qua poterunt animi deuotione & humilitate sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. De quo remedio vetusti Patres multa: Cass. coll. 7. c. 30. & 22. cap. 6. Prosper de Dimidio temp. cap. 6. in Vita D. Bern. lib. 2. c. 3. Metaph. in Vita S. Auxentij 14. Febr. In dæmoniacis tamen habebitur ratio lucidi interualli. Non solùm dæmon timet ipsam actualem perceptionem sanctissimi Sacramenti, sed etiam ipsius præsentiam. Proinde (vt suprà dictum est) licitum, imò expediens erit vt exorcismus fiat in præsentia Venerabilis Sacramenti, modò id decenter & reuerenter fieri possit absque dispendio honoris tanto Sacramento debiti.

Supradictis remediis adiungendum sacrum Missæ officium, quod quotidie, si fieri possit, afflicti audient, imò sæpè pro se offerri curabunt in quantum poterunt. De hoc remedio Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8. Metaph. in Vita S. Theod. in April.

Poterit etiam Exorcista vti oleo communi precibus Ecclesiæ à se vel alio Sacerdote benedicto. Exẽpla huius refert Beda in c. 8. Lucæ, Metaphr. in Vita S. Theod. mense

Ianuar.

Ianuar. & S.Parthenij 7.Februarij, & Auxentij 14.Febr. Sed cauebit à superstitiosis vnctionibus & scandalosis, præcipuè circa feminas.

Excitabit afflictos etiam ad orationis assiduitatem & feruentiam, adiunctis ieiuniis & aliis pietatis & pœnitentiæ operibus, præcipuè eleemosynis, exemplo & auctoritate Scripturæ sacræ, Matth. 17.& 20. Marc. 9. Tobiæ 6.& 8. & alibi. Nec contenti erunt propriis & priuatorum precibus; sed curabunt sibi applicari preces publicas Ecclesiæ. Nec ipse Exorcista hac in parte deerit officio suo, sed sedulò pro suis afflictis orabit, sacrificium Missæ offeret, & exorcismos Ecclesiæ sæpiùs applicabit, quorum vsum semper fuisse in Ecclesia constat ex antiquis Patribus, & ex eo quòd in Ecclesia sit Exorcistarum Ordo.

Præterea assuescent prædicti afflicti reuerenter in corde & ore habere nomen IESV & MARIÆ: petere opitulationem à beatissima Virgine, Angelo Custode, & à Patronis in quos vel in quas peculiarem solēt habere deuotionem, & ab omnibus Sanctis. Item adhibere & facere quasi ad omne opus signaculum S.Crucis, cuius maxima vis contra diabolum & opera eius, vt patet ex S.Gregorio lib.3.Dial.c.7.Chrysostomo

Homil.8. in Epist.ad Coloss. Lactant.lib.4. cap.27.Cypriano Serm.de Passione Domini; ex Vita S.Bernardi lib.2. cap.2. & 3. & aliis passim Patribus.

In magno honore habebunt & secum deferent Reliquias Sanctorum, Agnos Dei, & alias res sacras ex consilio Exorcistæ vel Confessarij. De efficacia huius remedij vide D. Hieronymum contra Vigilantium, Chrysostomũ in Vita S.Babylæ.Hîc cauendum à vanis & superstitiosis cærimoniis, de quibus infrà. Habebunt semper in domo Aquam benedictam, eaque sæpiùs vtentur. Alexander I.in Epist. 1. Epiphanius contra Hæres.30. Theod.lib.5. Hist.cap.21. Ad idem cõducit aqua Baptismalis, solita consecrari in Vigiliis Paschæ & Pentecostes.

Palmis de more Ecclesiæ benedictis domos suas ornabunt: cereum benedictum habebunt, eumque accendent & apud se ponent quando dæmon nimiùm insolescit vel molestior erit: sale & pane benedicto aliisque rebus benedictis libenter vtentur.

Præter piam Reliquiarum gestationem & Agni Dei, antiquitas etiam permittit & suadet religiosam gestationem sacrorum amuletorum, vtpote Symboli Apostolorum, Initij Euangelij S.Ioannis, vel particulæ Psalmi alicuius. Sed quia hoc remedium

facilè

facilè vitiatur aliqua circumſtantia mala, vt ſit licitum requirit D. Thom. 2.2.quæſt.96. art.4. duas conditiones; Prima eſt, vt piis verbis nihil admiſceatur ſuperſtitioſi, videlicet vt nõ ponatur vis in figura, modo ſcribendi, vel aliis ſimilibus nihil ad rem ſpectantibus. Secunda eſt, vt recta ſit intentio gerentis, qua ſpes omnis dirigitur in Deum, à quo ſolo effectus ſub eius beneplacito exſpectetur, & illa verba ſacra ferant cum illa intentione & in illo ſenſu ſicut Eccleſia permittit. Proinde quia facilè in huiuſmodi hallucinantur imperitiores, his prætermiſſis alia remedia ſuggeret Exorciſta, vel curam animarum gerens: aut ita illos inſtruet, vt nullum timeatur periculum ſuperſtitionis; & prohibebit ne geſtent aliqua huiuſmodi inuolucra ſeu breuia inconſulto Confeſſario, vel Exorciſta, vel Paſtore, illiſque priùs tradant examinanda, vtrùm non habeant circumſtantias parergas tamquam neceſſarias; qui etiam inquirent de intentione & mente geſtantium, & ſi inutile inueniant adhibitum tamquam neceſſarium, vel ſi deprehendant exſpectari effectum vanum, vel alium à Deo vel ab Eccleſia non intentum, reiicient huiuſmodi tamquam ſuperſtitioſa. multò magis illis prohibebunt geſtare inuenta à ſuperſtitioſis & impiis hominibus,

qualia

qualia ſunt imagines & characteres Aſtromici ſub certa Conſtellatione fabricati, & ſimilia vana & noxia, per quæ varios morbos & afflictiones volunt curare: illoſque docebunt quàm hæc ſint perniciosa animæ & corpori, licet aliquando & ſæpè multi per huiuſmodi videãtur curari à ſuis malis, Deo id permittente diabolo, in vindictam ſuperſtitionis & incredulitatis ipſorum, eò quòd relictis veris remediis confugiant ad inuenta diabolica, quibus ordinariè etiamſi videantur iuuari, deteriùs in anima, & ſæpiùs etiam in corporis ſanitate contingit, iuxta illud Prophetæ Amos cap. 5. Si fugiat vir à à facie leonis, occurret ei vrſus: & ſi ingrediatur domum, mordebit eum coluber. Sciant longè melius eſſe Deo propitio ęgrotare, vel aliam quamuis afflictionem pati, quàm Deo irato feliciter agere, & tandem proiici in ignem æternum, exemplo diuitis epulonis, Lucæ 16.

Non permittet quoque afflictis vt maleficium tollant per aliud maleficium, etiamſi malefica quæ malum intulit, vel alius quiſpiam vltrò ſe ad id offerret; memor doctrinæ Apoſtoli ad Romanos, non eſſe facienda mala vt eueniant bona. Poſſunt tamen tam ipſi maleficiati quàm curam eorum gerentes tollere & deſtruere ſigna malefi-

leficij, non solùm vbi inuenta casu fuerint, sed etiam eo fine possunt ex professo quæri: imò petere licet à malefica vbi sint posita, illamque inducere & cogere vt ea ostendat vel amoueat, modò moraliter certi sint, quòd non vtetur alio maleficio, vel aliqua alia superstitione, & scandalum cesset.

Si afflicti aliqua vota Deo fecerint, procurabit Exorcista vt ea persoluantur quantocyùs. Poterunt etiam de nouo discretè cum consilio Confessarij vel Exorcistæ Deo aliquod votum emittere, peregrinationem sanctam suscipere, & alia pia pœnalia opera præstare pro cuiusque statu & conditione: constat enim ex Historiis Ecclesiasticis, huiusmodi sæpiùs profuisse.

INSTRVCTIO VII.

De aliis quibusdam, in quibus adhuc instruendi sunt energumeni vel maleficiati.

PRÆTER prædicta, studebit Exorcista suos afflictos auertere à vanitatibus huius sęculi, vt eius pompis & illecebris renuntient, & fugiant consortium hominum peccatis & vanitatibus deditorum, maximè superstitiosorum & suspectorum commercij cum dæmone. Procurabit illis econtrà conuersationem & familiaritatem bonorum & pio-

piorum. Docebit illos contemnere minas & conatus diaboli in nomine Domini IESV Christi, memores illius Isaiæ cap. 8. Timorem eius ne timeatis, neque paueatis: Dominum exercituum ipsum sanctificate. ipse pauor vester, & ipse terror vester.

Quando energumenus aliquis vel maleficiatus erit exorcizandus, deponet omnem superfluum ornatum, & maxima qua poterit humilitate accedet ministrum Christi. Interim dum adiuratur, habebit animum compositum & vacuum mundanis curis & occupationibus, & attentè cum Sacerdote orabit, vel aliquid de vita & passione Domini meditabitur.

Si Deus illos exaudiat, & à suis afflictionibus liberet, grati erunt Deo non solùm sacrificio labiorum, sed vitæ & conscientiæ puritate, se à peccatorum maculis conseruando, ne alioqui deterius postmodum ipsis contingat, prout docet Christus Dominus Lucæ 11.

Si non exaudiat Dominus, consolabitur afflictum Sacerdos, & ostendet benignissimũ Deum hoc ita disponere pro maiore ipsius salute, dicẽte Apostolo, Virtus in infirmitate perficitur; & dicet cum B. Iob, Si bona de manu Dei accepimus, cur non & mala sustineamus? sicut Domino placuit

ita

ita factũ est; sit nomen Domini benedictum. Interim cum omni patientia exspectet liberationem, si non in hac vita, saltem in futura, cum retributione magna nimis.

Non tamen Exorcista huiusmodi afflictum statim deseret, sed præter bona monita & consolationem, inquiret diligenter si aliunde non sit aliquod impedimentum quò minùs fortè à Deo exaudiantur:

Primò disquiret non solùm, vtrùm afflictus habeat firmam & viuam fidem & fiduciam in Deum, sed vtrùm etiam ipsius amici & curam eius gerentes cum tali confidentia & fide illum adducant ad Deum & ministrum eius, sicut Christus requirit Matthæi 17. & Marci 9.

Secundò, vtrùm in afflicto nihil lateat, non solùm peccatum aliquod occultum, sed vel nimius affectus ad præterita peccata, vel res terrenas.

Tertiò, examinabit se ipsum Exorcista, vtrùm omni ex parte satisfecerit conscientiæ & officio suo, & omnia perfecerit & adhibuerit quæ possunt aut debent in simili opere adhiberi. Quo fine sæpiùs & maturè reuidebit instructiones & documenta in hoc Manuali præscripta, & negotium cum doctis & piis Theologis & in hoc genere versatis conferet.

Tan-

Tandem cogitabit, vtrùm fortè Deus non cupiat alterius Exorciſtæ virtutem notificari; proinde aliquando in huiuſmodi caſu expediet afflictum remittere ad alium pietate & poteſtate exorcizandi præditum; vel ſimiles in adiutorium ſibi aſſumet. Quòd ſi, poſtquam omnia tentauerit, res ex voto non ſuccedat, committet in patientia occulto iudicio Dei, recepturus nihilominùs mercedem poſt hanc vitam.

INSTRVCTIO VIII.

De variis technis dæmonum prænoſcendis & præcauendis.

EXORCISTA magna cum diligentia & prudentia aduertet & obſeruabit omnes & ſingulas inſidias quibus dæmones vtuntur, quando per preces & exorciſmos Eccleſiæ vrgentur. Impediet ne ipſum vel circumſtantes in peccatum aliquod pertrahant, quod ſemper conantur: ne ipſorum deuotionem & attentionem per nugas & leuia & obſcœna verba, vel per nimios clamores aliaque ſimilia impediant vel perturbent. Proinde quamprimùm ſupprimet illos Exorciſta in virtute Dei, & illis imperabit in nomine IESV confidenter, vt ſe contineant & conticeſcant.

Non-

Nonnumquam, cùm feminæ exorcizantur, fingunt se ægrè ferre quòd Sacerdos tãgat vultum earum, & se simili attactu cruciari simulant, vt tanto sæpiùs Sacerdotem inducant ad tangendum, & hac ratione Sacerdoti vel exorcizandæ ingerant voluptuosa incitamẽta. Sit itaq; Exorcista oculis manibusque & omnibus motibus pudicissimus & cautus, memor spiritus immundos nõ tam tactum quàm ipsum signum S. Crucis pertimescere. Quòd si aliquando necessariò tangenda sit energumena, illud faciet breuiter & perfunctoriè, mente eleuata ad Deum.

Statim ac se malignus spiritus manifestauerit in corpore obsesso, interrogabit illum Exorcista breuiter & categoricè quæ necessariò erunt interroganda, illumque coget ad respondendum, nec facilè cedet, etiamsi dæmonium reluctetur, sed iteratis adiurationibus & exorcismis instabit, donec extorserit, Deo fauente, responsum. In his obseruabit ea quæ latiùs dicta sunt superiùs in 4. Instructione.

Cauebit dictis dæmonis statim adhibere fidem, qui pater mendacij in Scripturis dicitur; sed prudenter perpendet omnia & singula, inuocando gratiam Spiritus sancti pro vera discretione spirituum.

Quantum in ipſo erit, Exorciſta nullam dabit requiem dæmoni inter exorcizandum, ſed continuè illum vexabit & cruciabit orationibus, lectionibus, & exorciſmis; multò minùs cum eodem aliquid extranei tractabit confabulando, vel aliquid aliud ad rem nihil faciens agendo, ne ei interim det tempus reaſſumendi vires. Conſiderabit ſe habere negotium cum capitali & infeſtiſſimo hoſte.

INSTRVCTIO IX.

De iis quæ debet Exorciſta obſeruare circa & poſt egreſſum dæmonum è corporibus obſeſſis.

QVANDO Exorciſta aduertet dæmonem eſſe deuictum, & iam eiiciendum Dei potentia & iuſſu è corpore obſeſſo, præcipiet eidem ne egrediendo lædat corpus creatum à Deo, ſed illud ſanum, liberum, ac expeditum ad ſeruiendum & glorificãdum Deo relinquat. Coget dæmonem dare aliquod ſignũ receſſus ſui cum tota ſua damnata ſocietate. Solent enim aliquando aliqui eorum remanere in corpore, & latere aliquo tempore abſque vlla vexatione, vt ſic decipiant miniſtrum Dei; proinde Exorciſta non erit ſecurus, niſi liquidè illi conſtet afflictum planè liberatum Vnde non ſtatim

tim illum deseret, vel sibi relinquet, nec etiam postquam liberatus fuerit, memor moniti Saluatoris Lucæ 11. quantas insidias assumpto auxilio ponat, vt vnde cum ignominia eiectus est, denuò possit redire, noscẽs tunc posteriora fore peiora prioribus. hinc est quòd liberati maiores sæpè sentiant tentationes postquam liberati fuerint quàm antè. Quare Exorcista vel curam animarum gerens adiuuabit liberatum instruendo & monendo vt vigilet in silentio & orationibus, vt se exerceat in bonis operibus, frequentissimè confiteatur & communicet, castè & pudicè viuat, & in omnibus tentationibus & difficultatibus suis, cùm discretione & ædificatione, semper ad prudentem Confessarium habeat recursum.

Solent subinde etiam dæmones, postquã coacti sint egredi, persuadere, personam liberatam numquam fuisse obsessam, vt hac ratione imminuant gloriam Dei, eneruent efficaciam exorcismorum Ecclesiæ, ingerãt varias dubitationes & incredulitates, denique vt reddant liberatum cum suis ingratum erga Deum & ministrum eius. Contra has insidias Exorcista habebit in promptis salutaria monita & instructiones, quibus excitabit tam liberatum quàm alios ad gratiarum actionem, & deteget insidias diabo-

li,qui confusus virtute Christi conatur deprimere eius potentiam & maiestatem.

Egrediuntur autem dæmones è corporibus obsessis aliquando per os in modum flammæ ignis: aliquando per modum venti: aliquando in forma apum vel formicarum. Aliquando exeunt per aures, & sentiunt energumeni discessum à stomacho, à corde,& ab omnibus partibus corporis sensibiliter. Subinde etiam egrediuntur per secessum in similitudinem pilæ quæ in gyrum voluitur, & è corpore eiicitur. Etiam per nares egrediuntur in similitudinem guttæ sanguinis defluentis, aliisq; variis modis & signis quæ prudens Exorcista facilè aduertet. quibus tamen non statim ita credet, quin exorcismis & aliis Ecclesiæ remediis experietur vtrùm non fallat & mentiatur fraudulentus hostis; & diligenter obseruabit, vtrùm in energumeno nulla ampliùs deprehendantur signa veri obsessi.

MANVALIS EXORCISMORVM PARS SECVNDA,

Continens praxim & modum exorcizandi energumenos seu vexatos aut obsessos à dæmone; cum Precibus & Adiurationibus requisitis.

MODVS EXORCIZANDI Ex Rituali Romano PAVLI V. Pont. Max. iussu edito.

SACERDOS, *siue alius Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commodè fieri potest, sanctissimo Missæ sacrificio, diuinoq; auxilio piis precibus implorato, superpelliceo & stola violacea, cuius extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, & astantes communiat signo Crucis, & aspergat Aqua benedicta, & genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias*

vsque ad Preces exclusiuè. In fine, Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster, *&c.*
Vers. Et ne nos inducas in tentationem.
Resp. Sed libera nos à malo. *Psalmus 53.*

DEus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.
Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.
Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.
Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.
Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.
Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.
Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus. Gloria Patri.
Vers. Saluum fac seruum tuum. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Nil proficiat inimicus in eo. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. *Vers.* Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

Resp.

Resp. Et de Sion tuere eum. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum [*vel* hanc famulam tuam] quem [*vel* quam] delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. *Oratio.*

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri IESV Christi, qui illum refugam tyrannum & apostatam gehennæ ignibus deputasti, quique Vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret: velociter attẽde, accelera, vt eripias hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quę exterminat vineam tuam. Da fiduciam seruis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui iam dixit, Deum non noui, nec Israel dimitto. Vrgeat illum dextera tua potens discedere à famulo tuo *N.* [*vel* à famula tua *N.*) ✠ ne diutiùs præsumat captiuum tenere, quem

tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti: qui tecum viuit & regnat,&c. *Resp.* Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum:

PRæcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, vt per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Adscensionis Domini nostri IESV Christi; per missionem Spiritus sancti, & per aduentum eiusdem Domini nostri ad iudicium, dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui, cum aliquo signo; & vt mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias: neque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona vllo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Euangelia, vel vnum, aut alterum.

Lectio sancti Euangelij secũdùm Ioannem. *Hæc dicens signat se & obsessum in fronte, ore, & pectore.* *Ioan.* I.

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehende-

runt.

runt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum. In mundo erat: & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundùm Marcum. *Marc. 16.*

IN illo tempore: dixit IESVS discipulis suis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent, & si

mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Luc.* 10.

IN illo tempore: Reuerſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes ad IESVM: Domine, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Luc.* 11.

IN illo tempore: Erat IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & ſatanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo

modo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eiicio dęmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? ideò ipſi iudices veſtri erũt. Porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Chriſte IESV, Deus & Dominus vniuerſæ creaturæ, qui ſanctis Apoſtolis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere, Dæmones effugate: cuius virtute motus tamquam fulgur de cælo ſatanas cecidit: tuum ſanctum nomen cum timore & tremore ſuppliciter deprecor, vt indigniſſimo mihi ſeruo tuo, data venia omnium delictorum meorum, conſtantem fidem, & poteſtatem donare digneris: vt hunc crudelem dæmonem, brachij tui ſancti munitus potentia fidenter & ſecurus aggrediar, per te

IESV

IESV Christe Domine Deus noster, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Deinde muniens se & obsessum signo Crucis, circumposita parte stolæ ad collum eius, & dextera manu sua capiti eius imposita, constanter & magna cum fide dicat ea quæ sequuntur. *Vers.* Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ. *Resp.* Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. *Vers.* Dñe exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEus, & Pater Domini nostri IESV Christi, inuoco nomen sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco, vt aduersus hunc, & omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium præstare digneris. Per eumdem Dominum nostrum IESVM Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sęculorum. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, immundissime spiritus, omnis incursio aduersarij, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri IESV Christi ✠ eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei ✠. Ipse tibi imperat, qui

te

te de ſupernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis, & tempeſtatibus imperauit. Audi ergo, & time ſatana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iuſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorũ. Quid ſtas, & reſiſtis, cùm ſcias Chriſtum Dominum vires tuas perdere? illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Ioſeph venumdatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. *Sequentes Cruces fiant in fronte obſeßi.* Recede ergo in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti, da locum Spiritui ſancto, per hoc ſignum ✠ Crucis IESV Chriſti Domini noſtri. Qui cum Patre & eodem Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia ſęcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEus conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginẽ tuam formaſti: reſpice ſuper hũc famulũ tuum *N.* [*vel* hanc famulam tuam *N.*] qui [*vel* quæ]

dolis

dolis immundi ſpiritus appetitur, quem vetus aduerſarius, antiquus hoſtis terræ, formidinis horrore circumuolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallaceſque eius inſidias amoue, procul impius tentator aufugiat: ſit nominis tui ſigno ✠ (*in fronte*) famulus tuus munitus, & in anima tutus & corpore.

Tres Cruces ſequentes fiant in pectore dæmoniaci.

Tu pectoris ✠ huius interna cuſtodias. Tu viſcera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes. In anima aduerſatricis poteſtatis tentamenta euaneſcant. Da Domine ad hanc inuocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam, vt qui hucuſque terrebat, territus aufugiat, & victus abſcedat, tibique poſſit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente ſincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, qui tecum, *&c.* *Reſp.* Amen.

EXORCISMVS.

ADiuro te ſerpens antique, per Iudicem viuorum & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum qui habet poteſtatem mittendi te in gehennam, vt ab hoc famulo Dei *N.* qui ad Eccleſiæ

ſinum

ſinum recurrit, cum metu & exercitu furoris tui feſtinus diſcedas. Adiuro te iterùm ✠ (*in fronte*) non mea infirmitate, ſed virtute Spiritus ſancti, vt exeas ab hoc famulo Dei *N*. quem omnipotens Deus ad imaginem ſuam fecit. Cede igitur, cede non mihi, ſed miniſtro Chriſti. Illius enim te vrget poteſtas, qui te Cruci ſuæ ſubiugauit. Illius brachium contremiſce, qui deuictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✠, (*in pectore*) ſit tibi formido imago Dei ✠ (*in fronte*.) Non reſiſtas, nec moreris diſcedere ab homine iſto, quoniam complacuit Chriſto in homine habitare! Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis eſſe cognoſcis. Imperat tibi Deus ✠. Imperat tibi maieſtas Chriſti ✠. Imperat tibi Deus Pater ✠, imperat tibi Deus Filius ✠, imperat tibi Deus Spiritus ✠ ſanctus. Imperat tibi ſacramentum Crucis ✠. Imperat tibi fides ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ceterorum Sanctorum ✠. Imperat tibi Martyrum ſanguis ✠. Imperat tibi continentia Confeſſorum ✠. Imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium interceſſio ✠. Imperat tibi Chriſtianæ fidei myſteriorum virtus ✠. Exi ergo tranſgreſſor. Exi ſeductor, plene omni dolo & fallacia,

vir-

virtutis inimice, innocentiũ persecutor. Da locum dirissime; da locum impiissime; da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis, qui te spoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua diripuit, qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerarie detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es. Reus es Filio eius IESV Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis venenum propinasti.

Adiuro ergo te, draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati, qui ambulauit super aspidem & basiliscum, qui conculcauit leonem & draconem, vt discedas ab hoc homine ✠, (*fiat in fronte*) discedas ab Ecclesia Dei ✠, (*fiat signum Crucis super circumstantes*) contremisce, & effuge, inuocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui Virtutes cælorum, & Potestates, & Dominationes subiectæ sunt; quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Verbum ✠ caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex

Vir-

Virgine. Imperat tibi IESVS ✠ Nazarenus, qui te, cùm discipulos eius contemneres, elisum atque prostratum exire præcepit ab homine, quo præsente, cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nunc adiuratus in nomine ✠ eius ab homine, quem ipse plasmauit. Durum est tibi velle resistere ✠. Durum est tibi contra stimulum calcitrare ✠. Quia quanto tardiùs exis, tanto magis tibi supplicium crescit, quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur viuorum & mortuorum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia nõ est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu creator cæli & terræ, qui verus Rex es, & cuius Regni non erit finis; humiliter maiestati gloriæ tuæ supplico, vt hũc famulum tuum de immũdis spiritibus liberare digneris. Per

Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

ADiuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio satanæ, in nomine IESV Christi ✠ Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit, vt quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare: & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo ✠, qui te & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu eius per Moysen seruum suum in abyssum demersit. Cede Deo ✠, qui te per fidelissimum seruum suum Dauid de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugauit. Cede Deo ✠, qui te in Iuda Iscariote proditore damnauit. Ille enim te diuinis ✠ verberibus tangit, in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixisti: Quid nobis & tibi IESV Fili Dei altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis vrget, qui in fine temporum dicturus est impiis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tibi enim impie, & angelis tuis vermes erunt, qui numquam morientur. Tibi & angelis tuis inextinguibile præparatur

tur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidij; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum magister: tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis inuentor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ scelerate, exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutius moraris hîc? Da honorem Deo Patri omnipotenti ✠, cui omne genu flectitur. Da locum Domino IESV Christo ✠, qui pro homine sanguinẽ suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✠ sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifestè strauit in Simone mago: qui fallaciã tuam in Anania & Saphira condẽnauit, qui tein Herode Rege honorẽ Deo non dãte percussit; qui te in mago Elyma per Apostolum suũ Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eumdem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc ✠, discede ✠ seductor. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare & prosternere. Iam non est differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eiicit, cuius oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cuius virtuti

vniuersa subiecta sunt. Ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam; de cuius ore exibit gladius acutus. qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.

Iuuabit præterea plurimùm, hæc quæ infrà notantur, super obsessum deuotè dicere, sæpéque repetere.

Pater noster, *&c.* Aue Maria, *&c.* Credo, *&c.*

Canticum beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1.

MAgnificat: anima mea Dominum.

Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.

Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

Susce-

Suſcepit Iſrael puerum ſuum : recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros : Abraham,& ſemini eius in ſæcula. Gloria Patri.

Canticum Zachariæ. Lucæ 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael : quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis : in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum : qui à ſæculo ſunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris : & de manu omnium,qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris : & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſeruiamus illi.

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo:omnibus diebus noſtris.

Et tu puer,propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius:in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri : in

quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Gloria Patri.

Symbolum sancti Athanasij.

QVicumque vult saluus esse: ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit: absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes personas: neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij: alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas: æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius: immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus sanctus.

Et

Et tamẽ nõ tres æterni: ſed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: ſed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij: ſed vnus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim vnamquamq; perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedẽs.

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſte-

rius, nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſuprà dictum eſt, & vnitas in Trinitate: & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: vt incarnationem quoque Domini noſtri IESV Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quia Dominus noſter IESVS Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm diuinitatem: minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licet Deus ſit, & homo: non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ: ſed vnitate perſonæ.

Nã ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides catholica: quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. Gloria Patri. *Psalmus* 90.

QVi habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugiũ meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & demonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri. *Pſalmus 67.*

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant, qui oderũt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, pſalmũ dicite nomini eius:

iter

iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.

Exultate in conſpectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui: cùm pertranſires in deſerto.

Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſrael.

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ,& infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri.

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, Deus ſaluos faciendi; & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus, Ex Baſan conuertam: conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

In

In ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio. *Psalmus 69.*

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Con-

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætẽtur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri.

Psalmus 53.

DEus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me:

me : & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria Patri & Filio.

Pſalmus 117.

CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſęculum miſericordia eius.

Dicat nunc Iſrael quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron : quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum:quoniam in ſæculum miſericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominum : & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor:& ego deſpiciam inimicos meos.

Bonum eſt confidere in Domino : quàm confidere in homine.

Bonum eſt ſperare in Domino:quàm ſperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me : & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Circumdederunt me ſicut apes,& exarſerunt ſicut ignis in ſpinis : & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.

Im-

Impulſus euerſus ſum vt caderem:& Dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox exultationis & ſalutis: in tabernaculis iuſtorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.

O Domine ſaluum me fac, ô Domine benè proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

Con-

Constituite diem solemnem in condensis: vsque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Gloria Patri.

Psalmus 34.

IVdica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego sum.

Confundantur & reuereantur: quærentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur: cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coartans eos.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacuè exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio

quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.

Surgentes teſtes iniqui: quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ.

Ego autem cũm mihi moleſti eſſent: induebar cilicio.

Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo conuertetur.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam: quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.

Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.

Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

Domine quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

Con-

Confitebor tibi in ecclesia magna: in populo graui laudabo te.

Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.

Exurge, & intende iudicio meo: Deus meus & Dominus meus in causam meam.

Iudica me secundùm iustitiam tuam Domine Deus meus: & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis, Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant, Deuorauimus eum.

Erubescant & reuereantur simul: qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione & reuerentia: qui magna loquuntur super me.

Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.

Et lingua mea meditabitur iustitiâ tuam: tota die laudem tuam. Gloria Patri.

Psalmus 30.

IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quẽ absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas cõmendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Odisti obseruãtes vanitates: superuacuè.

Ego autem in Domino speraui: exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam: saluasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum oppro-

opprobrium & vicinis meis valdè : & timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt à me: obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde.

Factus ſum tamquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me : accipere animam meam conſiliati ſunt.

Ego autem in te ſperaui Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum: & à perſequentibus me.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua: Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa.

Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem: in ſuperbia, & in abuſione.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abſcondiſti timentibus te.

Perfeciſti eis, qui ſperant in te: in conſpectu filiorum hominum.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ : à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Proiectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideò exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiã.

Viriliter agite, & cõfortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.

Gloria Patri. *Psalmus* 21.

DEus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas: laus Israel.

In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: locuti

locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.

Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me.

Quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens: in medio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.

Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me : ad defensionem meam conspice.

Erue à framea Deus animam meam : & de manu canis vnicam meam.

Salua me ex ore leonis:& à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum : vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel : quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me : & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentiũ eum.

Edent pauperes,& saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum : viuent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur,& conuertentur ad Dominum:vniuersi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu eius:vniuersæ familiæ gentium.

Quoniam Domini est regnum : & ipse dominabitur gentium.

Manducauerunt,& adorauerunt omnes pingues terræ : in conspectu eius cadent om-

omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Gloria Patri. *Psalmus* 3.

DOmine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.

Ego dormiui, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri. *Psalmus* 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes eius.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Gloria Patri. *Pſalmus* 12.

VSquequò Domine obliuiſcêris me in finem: vſquequò auertis faciem tuam à me?

Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum.

Qui

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri.

MODVS EXORCIZANDI ex Pastorali Mechliniensi.

ONVENIT, vt Exorcista ante actionem per piam recollectionem se ad eum statum componat, qui maximè conueniat ad ferendum suppetias proximo afflicto, aduersus tam pestilentem hostem. Proinde ordiatur actionem ab inuocatione sancti Spiritus, per quam statim ab initio omnem spem exspectati auxilij trãsferat à se in benignissimũ Dominum & Saluatorem nostrum, & eôdem etiam astantes omnes respicere doceat: vitet autem turbam illorum, qui curiositate vana non ad cooperandum, sed ad videndum concurrere solent.

Actionem autem ad liberationem hominis à dæmone obsessi, sic instituere potest Sacerdos: Assumpto habitu Ecclesiastico, vt minimum superpelliceo & stola, etiam afflicti collum altera stola obuoluat, per quam quasi in tutelam eum assu-

assumat, & sibi iungat, vt in maiorem fiduciam erigatur. Deinde post humilem inuocationem sancti Spiritus, & adstantium monitionem, vt suas preces cum Sacerdotis actione coniungant. Et muniens seipsum signo Crucis, dicat clara voce: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & cuius virtute victus, tamquam fulgur de cælo, satanas cecidit: tuum nomen tremens supplexq; deprecor, vt mihi indignissimo seruo tuo data venia peccatorum, confidentiam & virtutem donare digneris, vt hunc crudelem draconem brachij tui potentia securus aggrediar. Qui viuis & regnas cum Deo Patre, *&c.* *Resp.* Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, à cuius facie cæli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus paueſcit: te supplex deprecor, vt inuocatione tui nominis huius famuli tui [famulæ tuæ] *N.* anima à vexatio-

xatione liberata, ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremque suum, diabolico depulso fœtore, & odore suauissimo Spiritus sancti percepto, sequatur Dominum nostrũ Iesum Christum filium tuum. Qui tecum viuit & regnat, *&c. Resp.* Amen.

Tunc energumenus, si possit, clara voce dicat Symbolum Apostolorum, præeunte Sacerdote, qui statim dicat Vers. Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu. *Resp.* Laudemus & superexaltemus eum in sæcula. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde dicat Euangelia quæ sequuntur, signans in principio librum, deinde frontem, os, & pectus suum, ac postremò frontem energumeni: cuilibet Euangelio præponens Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Vers.* Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum. *Resp.* Gloria tibi Dñe. *Cap.* 17.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domi-

Domine,miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur: nam ſępè cadit in ignẽ, & crebrò in aquam. & obtuli eum diſcipulis tuis,& non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus,ait: O generatio incredula, & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? vſquequò patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Ieſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò,& dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illum? Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis,dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc: & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur, niſi per orationem & ieiunium.

Verſ. Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Marcum. *Reſp.* Gloria tibi Dñe. *Cap.vlt.*

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit,& baptizatus fuerit,ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa au-

tem

tem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum: & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique: Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Vers. Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam. *Resp.* Gloria tibi Domine. *Cap.* 4.

IN illo tempore: Descendit Iesus in Capharnaum, ciuitatem Galilææ: ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo, habens dæmonium immundum; & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obtumesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

Vers. Sequentia sancti Euangelij secundùm Ioannem. *Resp.* Gloria tibi Dñe. *Cap.* 12.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum. Nunc iudicium est mundi: nũc prin-

princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respōdit ei turba. Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus. Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis: vt non tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Finitis Euāgeliis, Sacerdos osculatur librum, dicens, Per Euangelica dicta, deleantur nostra delicta.

Deinde ponit librum super caput energumeni. Posteà imponens super obsessum extremam partem stolæ, dicit: Vers. Adiutorium nostrū in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. Exorcizo te immunde spiritus per Pa✠trem, & Fi✠lium, & Spiritum✠sanctum, vt exeas & recedas ab hoc famulo [famula] Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte, damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro, ne mergeretur, dexteram porrexit; qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit. Ergo maledicte diabole, recognosce

noſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo ✠ & vero. Da honorem Ieſu ✠ Chriſto Filio eius, & Spiritui ✠ ſancto, & recede ab hoc famulo [hac famula] Dei *N.* & hoc ſignum ſanctæ ✠ Crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole, numquam audeas violare: Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Audi maledicte ſatana, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, filij eius, cum tua victus inuidia, tremens gemenſq; diſcede: nihil ſit tibi commune cum ſeruo [famula] Dei *N.* Da igitur honorem aduenienti Spiritui ſancto, qui ex ſumma cæli arce deſcendens, perturbatis fraudibus tuis, mundum ſibi templum & habitaculum perficiat, vt ab omni penitus vexatione liberatus ſeruus [liberata ancilla] Dei, gratias perenni Deo referat ſemper, & benedicat nomen eius in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Poſteà Sacerdos tenens manus ſuper caput energumeni dicat: Nec te lateat ſatana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diemque ſupplicij ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuerſis angelis tuis æternus ſuperueniet in-

teritus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto, in cuius nomine atque virtute ego pręcipio tibi, quicumq; es, spiritus immũde, vt exeas & recedas ab hoc famulo [hac famula] Dei *N.* quem [quam] Deus & Dominus noster Iesus Christus pretioso Sanguine suo redimere dignatus est. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Exi spiritus immunde ab hac creatura Dei, nec in eam præsumas ampliùs introire. Ipse tibi imperat maledicte diabole, qui te de supernis cælorum, in inferiora terræ demergi, qui te retrorsum abire præcepit. Tu ergo nequissime spiritus, humani generis inimice, mortis adductor, vitæ raptor, iustitię declinator, malorum radix, seductor hominum, incitator inuidiæ, causa discordiæ, pater mendacij: illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus; qui deinde inferni triumphator exstitit gloriosus. Recede ergo in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti, ab hoc famulo [hac famula] Dei, & ne ampliùs introëas in eum, [eam,] in virtute Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos,

tuos,& ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Poſteà Sacerdos accepta Cruce, dicat: Ecce lignum ſanctiſſimæ Crucis, fugite partes aduerſæ; vicit enim vos & mundum Dominus Ieſus Chriſtus, Filius Dei, Imperator ſummus, leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Crucem det energumeno oſculandam, dicens cum eo ſimul: Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

Deinde Sacerdos dicat: Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſõ. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Verſ.* Et ne nos inducas in tentationem. *Reſp.* Sed libera nos à malo. *Verſ.* Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius. *Reſp.* Et fugiant qui oderunt eum à facie eius. *Verſ.* Saluum fac ſeruum tuum. [ancillam tuam.] *Reſp.* Deus meus ſperantem in te. *Verſ.* Nihil proficiat inimicus in eo. [ea.] *Reſp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. *Verſ.* Eſto ei Domine turris fortitudinis. *Reſp.* A facie inimici. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium: exaudi nos pro famulo tuo infirmo, [famula tua infirma,] pro quo [qua] miſericordiæ tuæ imploramus auxilium: vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones.

HOſtium noſtrorum, queſumus Domine, elide ſuperbiam: & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.

DEus qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectũ; adeſto ſupplicationibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, eaſque clementer exaudi: vt quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduerſitates, ad nihilum redigatur, & conſilio tuæ pietatis allidatur; quatenus nullis aduerſitatibus læſi, ſed de omni tribulatione & anguſtia erepti, læti in Eccleſia tua gratias referamus. Per Dñm noſtrum, *&c.* *Reſp.* Amen.

Poteſt etiam dici Oratio, Deus qui corda fidelium. *& Oratio*, Concede nos famulos tuos. *& Oratio illius Sancti, cuius nomine vocatur ipſe, [ipſa,] qui [quæ] vexatur: & Orationes aliorum Sanctorũ, quos maiori deuotione colimus. Poſſunt dici & aliæ deuotæ Orationes, cum compunctione, & cordis contritione, implorando ſemper miſericordiam Dei. Legat*

etiam

etiam Psalmum Iudica Domine nocentes me. *fol. 65.* *& Psalm. 58.*

ERipe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salua me.

Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meũ Dñe: sine iniquitate cucurri, & direxi.

Exurge in occursum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes: & circuibunt ciuitatem.

Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum: quoniam quis audiuit?

Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius præueniet me.

Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliuiscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine.

Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum: & comprehendantur in ſuperbia ſua.

Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in conſummatione: in ira conſummationis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob: & finium terræ.

Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes: & circuibunt ciuitatem.

Ipſi diſpergentur ad manducandum: ſi verò non fuerint ſaturati, & murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exultabo manè miſericordiam tuam.

Quia factus es ſuſceptor meus: & refugium meum in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea. Gloria Patri.

Item Pſalmum Exurgat Deus. *fol.* 58. *& Pſalm.* Qui habitat in adiutorio. *fol.* 57. *& Symbolum Athanaſij*: Quicumq; vult. *fol.* 54. *In fine dicit energumeno, dicens*: Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. *Reſp.* Amen.

Poſſunt etiam ſuprà dicta pluries repeti, ſi dæmon in v ratione durauerit.

ALTE-

ALTERA *forma exorcismorum ad fugandum dæmonem de corporibus oppressis, vel etiam maleficiatis.*

SACERDOS *indutus vt suprà, dicit*: In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. *Resp.* Amen. Nos cum prole pia benedicat virgo Maria. Ecce Cru✠cem Domini, fugite partes aduersæ: vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginũ, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco nomen sanctum tuum, ac præclaræ maiestatis tuæ clementiam suppliciter exposco; vt mihi auxilium præstare digneris aduersus hunc nequissimum spiritum, & & omnem qui vexat hoc plasma tuum. Per eumdem Christum Dñm, *&c.* *Resp.* Amen.

Exorcizo te immunde spiritus, omnis incursio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri Iesu Christi, eradicare & effugare ab hoc plasmate Dei. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi

præcepit. Audi ergo, & nunc ſatana victus & proſtratus abſcede, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tu ergo nequiſſime ſatana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iuſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum, malorum magiſter, quid ſtas & reſiſtis, cùm ſcias Deum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Iſaac eſt immolatus, in Ioſeph venum datus, in agno occiſus, in homine crucifixus; deinde inferni triumphator extitit glorioſus. Recede ergo in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ ſancti. Da locum Spiritui ſancto, per hoc ſignũ Crucis ✠, *Hîc ſignet Cruce frontem obſeſſi.* Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Si nondum receſſerit ſpiritus malignus, Sacerdos proſequitur. Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus conditor & defenſor humani generis, qui hominem ad imaginẽ tuam formaſti, reſpice ſuper hũc famulum tuum [hanc famulam tuam] *N.* qui [quæ] dolis inuidi ſerpentis appetitur, quem [quam] vetus aduerſarius, antiquus hoſtis terræ, formidi-

midinis horrore circumuolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, terrore cõturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallaceſque eius inſidias amoue: procul impius tentator aufugiat. Sit nominis tui ſigno Crucis ✠ in fronte famulus tuus munitus, [famula tua munita,] & in anima tutus [tuta] & corpore.

Hic ter faciet ſignum Crucis in pectore, dicẽs: Tu pectoris huius ✠ interna cuſtodias. Tu viſcera ✠ regas. Tu corda ✠ confirmes. In anima aduerſatricis poteſtatis tentamenta euaneſcant. Da Domine ad hanc inuocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam, vt qui hucuſque terrebat, territus aufugiat, & victus abſcedat, tibique poſſit hic famulus tuus [hæc famula tua] & corde & mente præbere famulatum. Per Chriſtum, *&c.*

Adiuro te ſerpens antique, per iudicem viuorum & mortuorum, per factorẽ tuum, per factorem mundi, per eum qui habet poteſtatem mittendi te in gehennam, vt ab hoc famulo [hac famula] Dei *N.* qui [quæ] ad Eccleſiæ ſinum recurrit, feſtinus diſcedas. Adiuro te iterùm, non mea infirmitate, ſed virtute Spiritus ſancti, vt deſiſtas ab hoc famulo [hac famula] Dei *N.* quem [quam] omnipotens Deus ad imaginem ſuam fecit.

Cede igitur, cede, non mihi, ſed miniſtro Chriſti. Illius enim te vrget poteſtas, qui te, affixus cruci, ſubiugauit: illius brachium contremiſce, qui deuictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis: ſit tibi formido imago Dei. Ne reſiſtas, nec morêris diſcedere ab homine; quoniam complacuit Deo in homine habitare. Et ne contemnendum me putes, dum me peccatorem eſſe cognoſcis, imperat tibi Deus, imperat tibi maieſtas Chriſti; imperat tibi Deus Pater, imperat tibi Deus Filius, imperat tibi Deus Spiritus ſanctus; imperat tibi fides Apoſtolorum Petri & Pauli, & ceterorum Sanctorum; imperat tibi Martyrum ſanguis; imperat tibi Sacramentum Cru✠cis; imperat tibi myſteriorum virtus. Exi ergo tranſgreſſor, exi ſeductor, plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice, innocentium perſecutor. Da locum duriſſime, da locum impiiſſime, da locum Chriſto, in quo nihil inueniſti de operibus tuis; qui te ſpoliauit, qui regnũ tuum deſtruxit, qui te victum ligauit, & vaſa tua diripuit: qui te proiecit in tenebras, vbi tibi cum miniſtris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente recogitas? quid temerarie retractas? reus omnipotenti Deo es, cuius ſtatuta tranſgreſſus es: reus es Filio

eius

eius Iesu Christo Domino nostro, quem tẽtare ausus es, & crucifigere præsumpsisti: reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti.

Si adhuc non cessauerit, aut recesserit, prosequitur Sacerdos. Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Hosanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam, tyrannum, & apostatam gehẽnæ ignibus deputasti: qui Vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret: velociter attende, accelera, vt eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam quæ exterminat vineam tuã; da fiduciam seruis tuis, contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat sicut in Pharaone iam dixit, Deum non noui, & Israel non dimittam. Vrgeat illum dextera tua, potens expellere à famulo tuo [famula tua] *N.* ne diutiùs captiuum præsumat tenere hominem, quẽ tu ad imaginem tuam faceredignatus es: & in Filio tuo redemisti. Qui tecum viuit & regnat. *Resp.* Amen.

Adiuro ergo te draco nequissime, in nomine

mine Agni immaculati, qui ambulauit super aspidem & basiliscum, qui conculcauit leonem & draconem: vt discedas ✠ ab homine, discedas ab Ecclesia ✠. *Hîc producit signum Crucis super circumstantes.* Contremisce & effuge, inuocato nomine Domini; quem inferi tremunt; cui virtutes cælorum, potestates & dominationes subiectæ sunt; quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant: imperat tibi Verbum caro factum, imperat tibi natus ex Virgine, imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te cùm discipulos eius contemneres, elisum atque prostratum, exire præcepit ab homine; quo præsente, cùm te ab homine separasset, nec porcorum gregem contingere præsumebas. Recede ergo nũc adiuratus in nomine eius ab homine quem ipse plasmauit. Durum est tibi velle resistere, durum est tibi contra stimulum calcitrare: qui quantò tardiùs exis, tantò maius tibi supplicium crescit: quia non homines contemnis, sed illum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sęculum per ignem. *Resp.* Amen.

Si oppressus nondum fuerit liberatus, prosequitur Sacerdos. Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, Deus & Dominus

nus vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones; qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta, dignatus es docere, dæmones effugare; cuius virtute motus tamquam fulgur de cælo, satanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timore & tremore suppliciter deprecor, vt indignissimo mihi seruo tuo data venia omnium delictorum meorũ, confidentiam & possibilitatem donare digneris, vt hunc crudelẽ draconem, brachij tui sancti munitus potentia, fiducialiter & securè aggrediar: per te Iesu Christe Domine Deus noster: Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Adiuro ergo te omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio satanæ, in nomine Iesu Christi ✠ Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vinxit, vt quem de limo terræ ad honorem gloriæ suę formauit, tu desinas impugnare: & in homine miserabili non humanam fragilitatẽ, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo, qui te, humiliato famulo suo Iob, in seruitutem redegit. Cede Deo, qui & malitiam tuam in Pharaone, & in eius exercitu per Moysen seruũ suum

in

in abyſſum demerſit. Cede Deo, qui te per Danielem puerum ſuum perdidit,& draconem proſtrauit. Cede Deo, qui te per fideliſſimum ſeruum ſuum Dauid,de rege Saule, ſpiritualibus canticis pulſum fugauit. Cede Deo, qui te in Iuda Iſcariot proditore damnauit. Ille enim te diuinis verberibus angit,in cuius conſpectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixiſti: Quid nobis & tibi fili Dauid? veniſti ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis vrgeat, qui in fine temporum dicturus eſt impiis: Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & angelis eius. Tibi enim impie & angelis tuis vermes erunt, qui numquam morientur: Tibi & angelis tuis præparatur inextinguibile incendium, quia tu es princeps maledicti homicidij,tu auctor inceſtus, tu ſacrilegorum caput, tu artium peſſimarum magiſter, tu hæreticorum doctor,tu totius obſcœnitatis inuentor. Exi ergo impie,exi ſcelerate, exi cum omni fallacia tua,quia hominem templum ſuum voluit eſſe Deus. Sed quid diutiùs moraris hîc? Da honorem Deo Patri omnipotenti,cui omne genu flectitur. Da locum Domino Ieſu Chriſto, qui pro homine Sãguinem ſuum ſacratiſſimum fudit. Da locum Spiritui ſancto, qui per beatum

Apo-

Apoſtolum ſuum Petrum te manifeſtè ſtrauit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania & Saphira condemnauit: qui te in Herode Rege honorem Deo non dãte percuſſit: qui te in Bariesu mago, per Apoſtolum ſuum Paulum cæcitatis caligine perdidit: & per eumdem de Pythoniſſa, verbo imperans, exire præcepit. Diſcede ergo nũc, diſcede ſeductor: tibi eremus ſedes eſt, tibi habitatio ſerpens eſt. Humiliare & proſternere, iam non eſt differendi tempus. Ecce enim dominator Dominus proximat citò, & ignis ardebit ante ipſum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ſuos. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eiicit, cuius oculis nihil occultum eſt: ille te expellit, cuius virtuti vniuerſa ſubiecta ſunt: ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam; de cuius ore exiet gladius bis acutus: Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Poſſunt legi ſequentes Pſalmi.

Pſalmus 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auer-

Auertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætétur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri. *Pſalmus* 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes eius.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Domiuns interrogat iuſtũ & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animã ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Quo-

Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Gloria Patri.

Psalmus 51.

QVid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis: lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: & præualuit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei: speraui in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Item possunt legi Litaniæ cum Precibus suis & Orationibus.

ORATIONES ET EXORCISMI,

ad iuuandum energumenos & alios maleficiatos, ex probatis Auctoribus desumpti.

SACERDOS *exorcizaturus, obseruatis iis quæ suprà dicta sunt, orabit in modum qui sequitur:*

Vers. Adiutorium ✠ nostrũ in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Sit nomen Domini benedictum. *Resp.* Ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Ecce Crucem Domini ✠, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Psalmus 67.*

EXurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu

ctu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmũ dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cùm egredereris in conspectu populi tui: cùm pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Israel.

Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est: tu verò perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam,

niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus, Ex Baſan conuertam: conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.

Præuenerunt principes coniuncti pſallenti-

lentibus:in medio iuuencularum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus : in mentis excessu.

Principes Iuda, duces eorum : principes Zabulon,principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ : confirma hoc Deus,quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem : tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum : vt excludant eos,qui probati sunt argento.

Dissipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo : psallite Domino.

Psallite Deo , qui ascendit super cælum cæli : ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis,date gloriam Deo super Israel : magnificentia eius,& virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis,Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri,& Filio.

Deinde Sacerdos flexis genibus alta voce dicet Litanias Sanctorum, prout infrà habentur.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui omnia tuo diſpenſas arbitrio, tu Pater clemẽs, tu pius propitiator, tu mœſtorum conſolator, tu tribulatorum fortitudo, tu ægrotantium medicus, tu defenſor tuorum plaſmatum, reſpice de ſede ſancta tua ſuper hunc famulum tuum, quem malignus conturbat ſpiritus, & memor eſſe digneris, quia opus manuum tuarum eſt, & pretioſo Sanguine ſuo eum Filius tuus redimere dignatus eſt: & concede vt medelam tuam non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per eumdem Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te ſupplices exoramus, vt imperes diabolo qui hunc famulum tuum detinet, vt ab eo recedat, & libera eum qui credit in verum liberatorem, vt amota omni vexatione diaboli, maieſtati tuæ libera mente deſeruiat. Per eumdem Dominum.

ORamus pietatem tuam, omnipotens Deus, vt præſtes auxilium familiæ tuæ,

&

& clementer exaudire digneris preces nostras, vt famulum tuum ab hac infirmitate ad integram iubeas reuerti corporis sanitatem. Per Dominum nostrum. *&c.*

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Vers. Sequentia sancti Euangelij secundùm Marcum. *Resp.* Gloria tibi Domine.

Marc. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixeis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. *Resp.* Deo gratias.

Oremus.

SAncta Maria, Virgo perpetua, mater Dei, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, atque omnes Angeli & Archangeli, Principatus & Poteſtates, Virtutes & Dominationes, Throni, Cherubim & Seraphim, atque omnes ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Cõfeſſores, Doctores, & Virgines, necnon & vniuerſi Dei electi intercedere dignentur pro iſto afflicto *N.* ad Dominũ, vt mereatur plenè liberari, & cuſtodiri ab omnibus ſpiritibus immundis, animæ & corporis vexationibus, ſenſuum perturbationibus, dæmonum terroribus & illuſionibus, etiam in ſanitate mentis & corporis conſeruari. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Ieſus Mariæ filius, ſalus mundi, & Dominus, ſit tibi clemens & propitius, & liberet te plenè, & cuſtodiat te ſemper ab omnibus ſpiritibus immundis, animæ & corporis vexationibus, ſenſuum perturbationibus, ac dæmonum terroribus, & in bona ſanitate mentis & corporis te conſeruet, in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti, Amen.

OMnipotens ſempiterne Deus, petimus humili prece diuinam clementiam tuam,

tuam, vt famulum tuum quem conſpicimus ab antiquo hoſte tentatum eſſe grauiter, & ſenſu à liuore ſatanæ perturbari atque vexari, ab eius impetu clementer eripias.

His ſubiungere licet pro qualitate perſonarum, temporis, aut loci, ſiue Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, ſiue alios qui hominem in ſpem & fiduciam erigant, vt Qui habitat in adiutorio Altiſſimi. *fol.* 57. *item* In te Domine ſperaui. *fol.* 68.

EXORCISMVS, *dicendus (ſi commodè fieri poterit) coram venerabili* SACRAMENTO *expoſito in altari.*

SACERDOS *cum magna reuerentia ponet ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuper altare debitè ornatum luminaribus*, &c. *Energumenum conſtituet infra gradus dicti altaris, indutum ſtolâ per modum Crucis. Facta reuerentia per incenſum thuris venerabili Sacramento, Exorciſta flexis genibus dicet alta voce, ſe ipſum ſignans,*

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. *Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Deus in adiutorium meum intende. *Reſp.* Domine ad adiuuandum me feſtina. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriam reliquiſti; tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. *Oratio.*

DEus refugium noſtrum & virtus, adeſto piis famulorum tuorum precibus, auctor ipſe pietatis, & præſta; vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen. *Oratio.*

INeffabilem miſericordiam tuam, Domine, huic ſeruo tuo *N.* clementer oſtende: vt ſimul eum & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meretur eripias. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Reſp.* Amen. *Oratio.*

PReces famuli tui *N.* quæſumus Domine clementer exaudi, vt qui iuſtè pro peccatis ſuis affligitur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oratio.

DEus, qui hunc famulum tuum *N.* in tantis periculis cõſtitutum, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da ei ſalu-

ſalutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis ſuis patitur, te adiuuante vincat. Per Chriſtum Dñm noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus, vt hic famulus tuus N. qui in tot aduerſis ex ſua infirmitate deficit, intercedente Filij tui vnigeniti paſſione reſpiret. Per eumdem Chriſtum Dominum, *&c.*

Oremus.

DEus qui glorioſiſſimum nomen IESV Chriſti filij tui Domini noſtri, feciſti fidelibus tuis ſummo ſuauitatis affectu amabile, & malignis ſpiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, vt omnes qui hoc nomen IESV deuotè venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis iubilationis obtineant in cælis. Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Poſt Orationem ſurget Exorciſta, & aſperget infirmum & aſtantes Aqua benedicta: & ſtans à latere verſus infirmum, ita vt non vertat dorſum venerabili Sacramento, leget ſuper illum ſequentia.

Lectio

Lectio libri Tobiæ. *Tob.* 3.

IN diebus illis: Orauit Sara filia Raguelis ad Dominum, dicens: Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum: qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his qui inuocant te. Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo. Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me. Tu autem Domine miserere nobis. *Resp.* Amen.

Initium sancti Euangelij secundùm Ioannem. *Ioan.* 1.

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit:

nit: & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis. *Reſp.* Laus tibi Chriſte.

EXORCISMVS.

PEr Euangelica dicta, extinguatur, diſſipetur & deſtruatur in te omnis malitia diabolica, In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti. Amen. *Pſalm.* 50.

MIſerere mei Deus: ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem.

Tunc

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſęculorum. Amen.

EXORCISMVS.

Oſtendendo digito reuerenter venerabile SACRAMENTVM, *dicet Exorciſta:*

ADEST, ô nequiſſime ſpiritus, ſumma pietas. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſus eſt. Nunc (inquit) princeps mundi huius eiicietur foras. Hoc eſt illud corpus quod de corpore Virginis ſumptũ eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis in cælum aſcendit. In huius ergo maieſtatis terribili poteſtate, tibi ſpiritus maligne præcipio vt ex hàc creatura Dei *N.* egrediaris, & fugias, nec eam deinceps pręſumas moleſtare. Amen.

Lectio Iſaiæ Prophetæ. *Iſaiæ* 14.

QVomodo cecidiſti de cęlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero

Altiſſi-

Altissimo. Verumtamen ad infernum detrahêris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; prospicient. Numquid iste est vir qui contutbauit terram, qui concussit regna? Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam. *Luc.* 11.

IN illo tempore: Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. *Vers.* Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Per Euangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica. *Ex Psalmis.*

Psal. 109. DIxit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

Exod. 15. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.

Psal. 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

Inimi-

Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti. *Psal. 9.*

Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Aethiopum. *Psal. 73.*

Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.

Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet. *Psal. 144.*

Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. *Psal. 145.*

Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.

Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. *Psal. 2.*

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus. *Psal. 57.*

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordię tuæ introibo in domum tuam, & confitebor nomini tuo. *Psal. 5.*

Dominus irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies eius. *Psal. 36.*

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. *Psal. 33.*

EXORCISMVS.

AVdite aspides tartarei, exorcizo vos, cuiuscumque generis sitis, vt sine vlla mora discedatis ab hac creatura Dei *N.* om-

neque maleficium aut maleficij signum dissoluatis.

Exorcizo vos per eum qui dixit: Ego sum qui sum. per simplicissimam vnitatem Dei.

Exorcizo vos per veritatem vnius principij totius vniuersi Creatoris & Rectoris.

Adiuro vos vt fugiatis, per æternum Deum, Patrem luminum.

Adiuro vos per Deum Filium, quem adorant omnes Angeli Dei.

Adiuro vos per Spiritum sanctum à Patre Filioque procedentem.

Adiuro vos vt relinquatis hanc creaturam Dei, per sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentē, vnius essentiæ, substātiæ, & potestatis: ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, cui gloria in sæcula.

Adiuro vos per diuinarum personarum æqualitatem.

Impero vobis vt recedatis, per immensitatem, incomprehensibilitatem, æternitatem, infinitatē, immutabilitatem, iustitiam & misericordiam Dei.

Exorcizo vos vt ab hac creatura Dei exeatis, per Filij Dei incarnationem, aduentum, & natiuitatem, per eiusdem baptismum & sanctum ieiunium.

Per crucem Christi & passionem.

Per

Per mortem Domini & ſepulturam.

Per ſanctam ipſius reſurrectionem & admirabilem aſcenſionem.

Exorcizo vos per aduentum ſanctiſſimi Paracleti.

Per ſanctificationem eius & conſolationem, vt ab hac creatura Dei exeatis, & ampliùs ne introëatis in eam.

Lectio beati Pauli Apoſtoli. *Hebr.* 4.

FRatres, Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. *Verſ.* Tu autem Domine miſerere noſtri. *Reſp.* Deo gratias.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Luc.* 11.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur. *Reſp.* Laus tibi Chriſte.

Per Euangelica dicta deleantur omnia noſtra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

Exorciſta flectat genua, & ad Deum dicat:

EXaudi Deus orationem meam cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam. *Pſal.* 63.

Psal. 60. Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

Psal. 125. Conuerte Domine captiuitatem nostrã, sicut torrens in Austro.

Psal. 79. Incensa igni, & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.

Psal. 82. Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.

Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra.

Psal. 78. Ne quando dicant in gentibus, Vbi est Deus eorum?

Psal. 34. Ne dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ.

Nec dicant, Deuorauimus eum.

Psal. 30. Educes me de laqueo hoc quem absconderũt mihi, quoniam tu es protector meus.

Psal. 82. Ita persequêris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.

Gloria Patri, & Filio. Sicut erat.

EXORCISMVS *per* SACRAMENTA.

EXorcizo vos, nequissimi latrones, qui hominem ab Ierusalem in Iericho, à felicitate innocentiæ ad peccati miseriam descendentem despoliastis, & plagis impositis semiuiuum reliquistis. Exorcizo vos per piissimum Samaritanum Iesum Christum, qui per incarnationis humilitatem misero

hc-

homini appropians alligauit vulnera eius,& visibilibus Sacramentis institutis,tamquam oleo & vino infusis, eorumdem Sacramentorum virtute infirmum reficere, & contra vestram nequitiam præsumptamque potentiam vires suppeditare dignatus est.

Formidate igitur accedere ad hominis Christiani corpus, qui in morte Christi baptizatus,consepultus est cum illo per Baptismum in mortem, atque erutus de potestate tenebrarum (vestra scilicet) translatus est in regnum Filij dilectionis Dei, à cuius regno vos excidisse non ignoratis.

Adiuro vos per virtutem Spiritus sancti, qui in Sacramento Confirmationis per Chrismatis vnctionem & signum Crucis, cum impositione manus Episcopalis Christianorum frontibus impressum, in eorum cordibus non tantùm charitatis dona multiplicat,verùm etiam robur mentis subministrat, quo, in militiam spiritualem conscripti, omnibus vestris impugnationibus redduntur superiores.

Adiuro quoque vos per eximiam illam Christi erga homines charitatem, qua sanctissimum Corpus & pretiosissimum Sanguinem suum, quæ in Eucharistia sub speciebus panis & vini verè & substantialiter adsunt, illis in cibum potumq; spiritualem

concedere voluit in ſuæ paſſionis memoriam, & incruenti ſacrificij oblationem; cuius virtute omnibus efficiuntur hoſtibus fortiores. Quapropter Chriſtiani hominis corpus, quod à iudice veſtro, qui in hoc Sacramento preſens eſt, tanto honore dignum habetur, eueſtigiò deſerite.

Quídni ab hoc ſeruo Dei ſtatim receditis, toties ab eo victi, quoties per Sacramentum Pœnitentiæ vel ſtatui gratiæ reſtitutus eſt, vel ampliore iuſtificatione donatus, mundante eum & ſanctificante Sanguine Chriſti, cuius virtutem ſuſtinere nullo modo poteſtis.

Arguit imbecillitatem veſtram ad maiorem confuſionem, quòd Chriſtianos in infirmitate conſtitutos tentationibus veſtris infeſtantes per virtutem extremæ Vnctionis à Chriſto inſtitutæ non rarò fugemini, & animas, quarum perditioni inhiatis, ad Beatorũ ſedes angelico miniſterio deferri cum veſtra indignatione videre compellamini. Ita nunc quoque hinc diſcedite, eiuſdem Chriſti virtute conſtricti, in cuius nomine vos adiuro.

Recordari enim vos oportet, quòd Chriſtus Dominus per Ordinis Sacramentum ſeruis ſuis poteſtatem dederit calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, omnemq; virtutem

tutem vestram pedibus eorum subiecerit. Vnde & ego (quamuis indignus & peccator) ad ignominiam vestram pedibus istis Euangelicis vos naturâ superiores cõculco, & in nomine Iesu, qui hanc mihi dedit potestatem, vos protrudo, mandoq́, vt ab hoc seruo Dei exeatis, eumque vexare desinatis, neque vlteriùs accedatis ad eum.

Sed & probè scitis, spiritus immundi, qui carnis spurcitias diligentes, fortitudinem habetis in lumbis vestris, & virtutẽ in vmbilico ventris vestri: quantum de viribus vestris ademptum sit, cùm Christus Dominus matrimonialem contractum Sacramenti honore nobilitans, amorem coniugum naturalem sublimauit in spiritualem charitatem, vt esset honorabile coniugium in omnibus, & torus immaculatus.

Quid ergo tot Sacramentorum virtute attriti, viribus vestris confiditis? nec ad terribile Dei nomen, in quo vos adiuro, continuò fugam capitis? Discedite toties victi. Discedite viribus destituti. Discedite coram Christo Domino imbecilles, qui vos vti per Sacramenta sanctissima in hoc sæculo hominibus vincendos exposuit, ita in die Iudicij sempiternis ignibus cruciandos addicet. Cui est honor & gloria per omnia sæcula sæculorum.

Exprobratio in ſatanam.

O Miſerrime & nequiſſime ſpiritus, ecce contra te tuum Factorem ac punitorem inuocaui, cuius longanimitatem contemnere non conſueuiſti impunè. Reminiſci debuiſſes, quemadmodum in te, & quàm iuſtè, ſtatim ab initio tuæ conditionis animaduertit. Audi, miſerrime, opprobriũ tuum. Vos ſpiritus nunc quidem brutales, olim etiam hominibus nobiliores omnes à Deo omnipotente producti fuiſtis, donis naturalibus ſublimes, ſed gratuitis ſublimiores: qui in ipſo mox veſtræ conditionis exordio, Conditori veſtro non ſolùm ingrati, verùm etiam rebelles extitiſtis, in ſuperbiam, in liuorem & odium maximum prorumpentes. O ingratitudinem maximã! ô inauditam temeritatem! ô flammis æternis exurendum ſcelus! Audiatis quid de veſtro principe, & ſingulis veſtrûm, ſuo modo ſub figura Nabuchodonoſor ſuperbiſſimi, immò quid de Nabuchodonoſor adinſtar ſatanæ, dicat per Iſaiam magnus & admirabilis Conditor veſter: Quomodo (inquit) cecidiſti de cælo Lucifer? qui manè oriebaris, corruiſti in terram. Corruiſti, inquam, tu, qui tua pulchritudine delectatus, dicebas in corde tuo, tuum ſcilicet blaſphemando Conditorem, vnde laudare debuiſ-

Iſaia 14.

buisses; In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum. Sedebo in mõte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis erõ Altissimo. O verbum totius temeritatis! & cui per magnum & admirabilem Adonai iustissimè respondeatur: Verumtamen, ô spiritus ingrate atque superbissime, ad infernum detrahêris, in profundum laci. Qui te viderint post tãtam dignitatem obsidentem corpora humana, & infra intestina stercorea latitantem, bestiales gestus rugitusq; porcinos cum femineis eiulatibus exercentem, ad te contemplandum præ admiratione inclinabuntur, vt videant ad quantam profunditatem, de tanta sublimitate explosus, ruensque descenderis.

Illud verò, miserrime, quomodo sufferre iam potes, quòd omnipotens Deus de superbissimo Rege Tyri sub tua persona, qui eum tuo facto docuisti, per Ezechielem profitetur & dicit: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & beryllus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decôris tui: & foramina tua, in die qua conditus es, præparata *Ezech. 28.*

ſunt. Tu Cherub extentus,& protegens,& poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti : perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ,donec inuenta eſt iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti: & eieci te de mõte Dei, & perdidi te, ô Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum, quorum conſortio te indignum effeciſti. Perdidiſti ſapientiam (Deo teſte) licet tu apud mulierculas & Necromanticos de ſapientia glorieris: & ex angelo effectus es beſtia teterrima & ſcabioſa.

O miſerrime, quo nulla creatura miſerior vel impudentior eſt, quomodo poſt tantam gloriam audes comparere, & brutales, imò porcinos moliri rugitus? Erubeſce miſelle,& fuge,Dei omnipotentis imperia veritus.

Matth.26.

Nam ego Ieſu Chriſti Nazareni crucifixi indignus Sacerdos & famulus, auctoritate & virtute Dei omnipotentis, Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti, præcipio tibi vt hoc Dei templum deſinas occupare. Et contra te inuoco ſanctam Trinitatem, vltricem contumaciæ tuæ, beatam Virginem Mariam,omnes bonorum Spirituum choros,omnes electos Dei, quos omnes humiliter

liter precor, vt mihi aduersum te sint in adiutorium. Fuge miserrime, fuge latro, quia iudex adest iratus: adest contra te iudicium Iesu Christi Nazareni crucifixi. Imperet tibi Dominus, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Si quando Exorcista iudicabit expedire vt interroget aliqua à dæmone, seruatis iis quæ habentur in Instructione, præmittet sequentia.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 16.

FActum est euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines, serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundùm Marcum. *Marc. 9.*

IN illo tempore: Respondens vnus de turba, dixit: Magister, attuli filiũ meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbicumque eum apprehendit, allidit illum, & spumat,

ſpumat,& ſtridet dentibus,& areſcit: & dixi diſcipulis tuis vt eiicerent illum, & non potuerunt. Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, vt eum perderet. Sed ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri. Ieſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine; adiuua incredulitatem meam. Et cùm videret Ieſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introëas in eum. Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo: & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus eſt. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. *Reſp.* Laus tibi Chriſte.

Per Euangelica dicta deleantur omnia noſtra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

Sub-

Subiunget Exorcista: Adiuro te per Deum viuum, vt non contradicas verbo veritatis vllo modo; & de mendacio ineruditionis tuæ confundaris. *Matth.26.* *Eccli.4.*

Hîc petat Exorcista ea quæ scire desiderat pro faciliori expulsione dæmonum, dicendo: Da gloriam Deo. *Ioan.9.*

Si diabolus recuset respondere, vel mendaciis vel nugis diuertere interrogata, insurgat Exorcista, dicens: Iterùm atque iterùm adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine Domini. *3.Reg.22.*

Si ex responso dæmonis vel aliis signis aduertat Exorcista plures esse in corpore obsesso dæmones, tam in adiurationibus præcedentibus quàm sequentibus & in aliis Precibus vtetur numero plurali.

Deinde siue responderit dæmon siue non, quamdiu non fuerit eiectus, prosequetur Exorcista suam exorcizationem, & adiurationes, donec victoriam reportet de hoste communi, Deo fauente & iubente.

EXOR-

EXORCISMI qui nituntur inuocationibus & ſuffragiis Sanctorum & Sanctarum DEI.

Primus, Per inuocationem beatiſſimæ Virginis MARIAE.

Flexis genibus ante altare vel imaginem beatiſſimæ Virginis, vel alterius Sancti vel Sanctæ, leget Exorciſta alta voce Litanias B. MARIÆ LAVRETANÆ, *prout ſequuntur.*

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.

Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis.

Sancta Maria, Ora pro eo.

Sancta Dei genitrix, Ora pro eo.

Sancta Virgo virginum, Ora pro eo.

Mater Chriſti, Ora pro eo.

Mater diuinæ gratiæ, Ora pro eo.

Mater puriſſima, Ora pro eo.

Mater

Mater castissima, Ora pro eo.
Mater inuiolata, Ora pro eo.
Mater intemerata, Ora pro eo.
Mater amabilis, Ora pro eo.
Mater admirabilis, Ora pro eo.
Mater Creatoris, Ora pro eo.
Mater Saluatoris, Ora pro eo.
Virgo prudentissima, Ora pro eo.
Virgo veneranda, Ora pro eo.
Virgo prædicanda, Ora pro eo.
Virgo potens, Ora pro eo.
Virgo clemens, Ora pro eo.
Virgo fidelis, Ora pro eo.
Speculum iustitiæ, Ora pro eo.
Sedes sapientiæ, Ora pro eo.
Causa nostræ lætitiæ, Ora pro eo.
Vas spirituale, Ora pro eo.
Vas honorabile, Ora pro eo.
Vas insigne deuotionis, Ora pro eo.
Rosa mystica, Ora pro eo.
Turris Dauidica, Ora pro eo.
Turris eburnea, Ora pro eo.
Domus aurea, Ora pro eo.
Fœderis arca, Ora pro eo.
Ianua cæli, Ora pro eo.
Stella matutina, Ora pro eo.
Salus infirmorum, Ora pro eo.
Refugium peccatorum, Ora pro eo.
Consolatrix afflictorum, Ora pro eo.

Auxi-

Auxilium Christianorum, Ora pro eo.
Regina Angelorum, Ora pro eo.
Regina Patriarcharum, Ora pro eo.
Regina Prophetarum, Ora pro eo.
Regina Apostolorum, Ora pro eo.
Regina Martyrum, Ora pro eo.
Regina Confessorum, Ora pro eo.
Regina Virginum, Ora pro eo.
Regina Sanctorum omnium, Ora pro eo.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Dñe Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amẽ.

Oratio.

Oratio.

DEus qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *&c.* *Reſp.* Amen.

Oratio.

O Maria virgo, quæ contriuiſti caput ſerpentis, fugatrix dæmonum, & maleficiorum diſſipatrix, ne hæc creatura, ad imaginem & ſimilitudinem filij tui creata, vlteriùs crucietur ſuccurre; & preces noſtras, quas auribus tuæ pietatis & miſericordiæ offerimus, exaudi; vt deſideratam ſanitatem tuo pio interuentu obtineat, largiente Ieſu Chriſto filio tuo crucifixo, regnante in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Surgens Exorciſta ab Oratione, aſperget infirmum & circumſtantes Aqua benedicta, & eleuatis oculis in cælum dicet: Sub tuum præſidium confugimus, ſancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias, & concede, vt te adiuuante de hoc ſuperbo hoſte victoriam referamus.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Lucæ* I.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione, in

ciuitatem Iuda,& intrauit in domum Zachariæ,& ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamauit voce magna,& dixit: Benedicta tu inter mulieres,& benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidiſti; quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. Et miſericordia eius à progenie in progenies:timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede:& exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham, & ſemini eius in ſæcula. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus: & reuerſa eſt in domum

mum ſuam. *Reſp.* Laus tibi Chriſte.

Subiunget Exorciſta, quod ſemper faciet lecto aliquo Euangelio. Per Euangelica dicta deleantur omnia noſtra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

EXORCISMVS.

ILla mater Dei intemerata, ſemper virgo Maria, quam Dominus omnipotens ab initio viarum ſuarum, antequã quidquam faceret à principio, & ab ęterno elegit ſibi in matrem & ſponſam: illa inquam vos virginitatis hoſtes per ſuam interceſſionem expellat ab hac creatura Dei, ipſiq́ue Deo hoc habitaculum ſuum, quod temerè præſumpſiſtis inuadere, relinquatis, ac omne maleficiorum genus diſſoluatis.

Illa vobis ſuis meritis contraueniat, cuius partus exſtitit ſalutis exordium, & gaudium annuntiauit in vniuerſo mundo: ipſa enim eſt flos campi, de qua ortum eſt pretioſum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura protoplaſtorum, deletur & culpa; ex ea enim ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.

Illa vos veſtramq́ue ſuperbiam calcet, ô angeli apoſtatici, cui miſſus eſt Angelus Ga- *Luc.*

briel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomẽ Nazareth, vt ſalutatione præmiſſa, conceptionem Dominicam nuntiaret, dicendo: Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur. fiet autem iſtud Spiritu ſancto ſuperueniente in te, & Altiſſimi virtute te obumbrante.

Illa vos veſtramque ſuperbiam conculcet, quæ cùm ſe grauidam cognouiſſet, exurgens abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iudæ, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt vt audiuit ſalutationẽ Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius. Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamauit dicens: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

Illa vos veſtramque ſuperbiam vincat, quæ nouem poſt conceptionem decurſis menſibus, dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, dum paſtores vigilias noctis cuſtodirẽt ſuper gregem ſuum, peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepe, quia non erat ei locus in diuerſorio. *Luc. 1.*

Illa vos veſtramque proteruiam retundat, in qua præciſum eſt illud Euæ infelicitatis

ratis elogium, quo dicitur, In dolore paries filios; quia ista in lætitia Dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit: Eua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem, & nocentium liberatorem.

Illa vos vestramq; temeritatem cõfundat, & caput vestrum conterat, quæ Virgo ante partum, in partu, & post partum permansit.

Illa vos expugnet, quæ postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundùm legem Moysi cum Ioseph sponso suo tulit filium suum, & Dominum nostrum Iesum Christum, in Ierusalem, vt sisteret eum Domino. *Luc 2.*

Illa vos fugam capere faciat, quæ in Cana Galilææ, ad nuptias in quibus defuit vinum, dixit filio suo: Vinum non habent. Deinde ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

Illa vos ad loca vobis debita deiiciat, ô corruptores bonæ mentis, quæ cum Maria Cleophæ & Maria Magdalene iuxta crucem Iesu Christi filij sui stabat: quam cùm ipse vidisset, ait illi: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo suo Ioanni: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Illa vos ad loca vobis debita deturbet,

quæ cùm debitum carnis morte interueniente exſoluiſſet, aſſumpta eſt ad ęthereum thalamum, in quo Rex regum ſtellato ſedet ſolio.

Illaque tandem vos exterminet, quæ ſicut Chriſti magnificentia ſuper cælos eſt eleuata, ita exaltata eſt ſuper choros Angelorum ad cęleſtia regna; cuius meritis precibuſque confiſus, auctoritate Filij ipſius ego vobis præcipio vt hinc diſcedere feſtinetis, & ab omni maleficio hanc creaturam Dei ſolutam & liberam relinquatis.

Quouſque tandem non exibitis? quid moramini? quid temerè cogitatis? Fugite rebelles æternæ maieſtati, date locum Deo maledicti, & exite ab hac imagine ſanctiſſimæ Trinitatis, euntes ad loca vobis à Deo parata.

Secundus EXORCISMVS, per inuocationem ſanctorum ANGELORVM.

Oremus. *Oratio.*

DEus, qui miro ordine, Angelorum miniſteria, hominumque diſpenſas: concede propitius; vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Dominum noſtrum Ieſum, *&c. Reſp.* Amen.

Ora-

Oratio.

VIsita, quæsumus Domine, hunc famulum tuum *N.* & omnes insidias inimici ab eo longè repelle. Angeli tui sancti habitent cum eo, qui eum in pace custodiant: & benedictio tua sit super eum semper. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amē.

Oratio.

DEus, qui ineffabili prouidentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum, *&c.*

Hic surget Exorcista, & asperget obsessum & circumstantes Aqua benedicta, & stans versus illum, prosequetur sequentia.

Psalmus 90.

QVi habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dęmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Lectio

Lectio sancti Euangelij secundùm Matthæum. *Matth.4.*

IN illo tempore: Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, posteà esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem: & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominũ Deum tuum. Iterùm assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. *Resp.* Laus tibi Christe. *Deut.8.*

Per Euangelica dicta deleantur omnia

nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

EXORCISMVS.

EXorcizo vos spiritus nequam, qui hoc plasma Dei vexare præsumitis, per Deũ omnipotentem, sanctorum Angelorum & vestrum Creatorem, vt agnita vilitate vestra, ad quam per superbiam deuenistis, dissipatoque omni maleficio, ab hac Dei creatura discedatis. Neque enim digni estis vt in homine tyrannidem exerceatis, qui à naturali vestra excellentia contra Deum vos eleuando deiecti, atque rudentibus inferni detracti, in carceribus vestris sub caligine reseruamini. Eum timete, qui sanctos spiritus, suum principatum domiciliumque seruantes, non tantùm æterna gloria remunerauit, verùm etiam vestram, quam deseruistis, adiecit dignitatem; ita vt ad ipsorum præsentiam vos iam contremiscere compellamini, quibus aliquando naturâ pares fuistis.

Illius vos vrgeat maiestas, qui vobis ex altissima cælorum sede deiectis in ea loca, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, stabiliter sibi adhęrentes spiritus per hierarchias ordinesque sic disposuit, vt millia millium throno eius assistant, & decies millies cẽtena millia maiestati

ieſtati ipſius perpetuò miniſtrent. Quorum miniſterio (niſi ceſſeritis) ad mandatũ eius tanta vobis accumulentur tormenta, vt infernalem potiùs flammam, quàm huius creaturæ Dei corpus eligere compellamini.

Illum timete, cuius voluntati obſequens Archangelus Michaël cum exercitu Angelorum, vos fruſtrà contrà præliantes ita deuicit & ſubiugauit, vt ne locus quidem veſter in cælo ampliùs inueniretur. Horum vos poteſtati reſiſtere præſumitis? Scitote quòd veſtrûm vnus Aſmodæus per Raphaëlem Archangelum iecoris fumo è cubiculo Tobiæ & Saræ profligatus, in deſerto ſuperioris Aegypti religatus ſit.

An ignoratis quòd omnium præſentium Chriſtianorum, qui precibus apud Deum contra vos certant, Angeli ſemper vident faciem Patris noſtri qui in cælis eſt? qui nos labentes erigunt, qui contra veſtros inſultus nos muniũt, qui orationes noſtras ad Deum perferunt, qui diuinæ beneuolentiæ beneficia ſuis precibus impetrata nobis reportant. Omnes nos contra veſtram contumaciam Dominum inuocamus. Quid moramini vlteriùs? quid exſpectatis, niſi vt Angeli ſancti, de quorum cuſtodia contra vos gloriamur, accepto à Deo mandato flagella

vobis

vobis ingeminent, & miseriæ vestræ acerbiora insuper tormenta adiiciantur?

Iterùm vos exorcizo per Iesum Christum Dominum nostrum verum hominem verumque Deum, qui sua humilitate & passione mortis paulominùs ab Angelis minoratus, sic gloria & honore coronatus est, vt sit caput omnis principatus & potestatis, in quem & desiderant Angeli prospicere, cuius Sanguine hic seruus Dei redemptus est. Exite igitur vos apostatici spiritus. Date locum Deo omnipotenti, cui hic seruus addictus est. Date locum Christo Domino nostro, sub cuius auspiciis hic contra vestram nequitiam militat. Date locum sanctis Angelis, quorum hic tutelæ commissus est, eorumq; contra vos auxilium inuocamus, neque eum vlteriùs à Domini sui seruitio vestris infestationibus aut maleficiis impedire præsumatis. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Tertius

Tertius EXORCISMVS, per inuocationem DEI & SANCTORVM eius.

Flexis genibus leget Exorcista alta voce Litanias sequentes.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria, Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, Ora pro nobis.

Sancta Virgo virginum, Ora pro nobis.

Sancte Michaël, Ora pro nobis.

Sancte Gabriel, Ora pro nobis.

Sancte Raphaël, Ora pro nobis.

Omnes sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.

Omnes sancti beatorum spirituum ordines, Orate pro nobis.

Sancte Ioannes Baptista, Ora pro nobis.

Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.

Sancte Petre, Ora pro nobis.

Sancte Paule, Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Andrea, Ora pro nobis.
Sancte Iacobe, Ora pro nobis.
Sancte Ioannes, Ora pro nobis.
Sancte Thoma, Ora pro nobis.
Sancte Iacobe, Ora pro nobis.
Sancte Philippe, Ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, Ora pro nobis.
Sancte Matthæe, Ora pro nobis.
Sancte Simon, Ora pro nobis.
Sancte Thadæe, Ora pro nobis.
Sancte Matthia, Ora pro nobis.
Sancte Barnaba, Ora pro nobis.
Sancte Luca, Ora pro nobis,
Sancte Marce, Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Innocentes, Orate pro nobis.
Sancte Stephane, Ora pro nobis.
Sancte Laurenti, Ora pro nobis.
Sancte Vincenti, Ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, Orate pro nobis.
Sancti Ioannes & Paule, Orate pro nobis.
Sãcti Coſma & Damiane, Orate pro nobis.
Sãcti Geruaſi & Prothaſi, Orate pro nobis.
Omnes ſancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Silueſter, Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Gregori, Ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, Ora pro nobis.
Sancte Augustine, Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, Ora pro nobis.
Sancte Martine, Ora pro nobis.
Sancte Nicolae, Ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.
Sancte Bernarde, Ora pro nobis.
Sancte Dominice, Ora pro nobis.
Sancte Francisce, Ora pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, Orate pro nobis.
Omnes sancti Mõnachi & Eremitæ, Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Sancta Agatha, Ora pro nobis.
Sancta Lucia, Ora pro nobis.
Sancta Agnes, Ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, Ora pro nobis.
Sancta Catharina, Ora pro nobis.
Sancta Anastasia, Ora pro nobis.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Orate pro nobis.

Pro-

Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab insidiis diaboli, Libera eum Domine.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, Libera eum Domine.
Per aduentum tuum, Libera eum Domine.
Per natiuitatem tuam, Libera eum Domine.
Per baptismum & sanctum ieiunium tuum, Libera eum Domine.
Per crucem & passionem tuam, Libera eum Domine.
Per mortem & sepulturam, Libera eum Domine.
Per sanctam resurrectionem tuam, Libera eum Domine.
Per admirabilem ascensionem tuam, Libera eum Domine.
Per aduentum Spiritus sancti paracliti, Libera eum Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison.

eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Aue Maria. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, quæſumus, vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus, largiaris. Per Dominum noſtrum, *&c.* *Reſp.* Amen. Oremus.

INteruenientibus, Domine, ſancta Maria virgine matre tua & omnibus Sanctis, huic famulo tuo *N.* auxilij tui placatus oſtẽde virtutem, vt deſtructis aduerſitatibus, inſidiiſque diabolicis vniuerſis, ſecura deinceps tibi ſeruiat libertate. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. Oremus.

OMnes Sancti tui, quæſumus Domine, nos vbique adiuuent, & dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Iter, actus, & voluntates noſtras in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, & huic famulo tuo pacem, & iiſdem interuenientibus à dæmonum infeſtatione requiem concede. Per Dominum, *&c.* *Reſp.* Amen. Oremus.

PRotege Domine hunc famulum tuum [hanc famulã tuam] *N.* & Apoſtolorum

tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserua. Per Dominum.

Surgens ab oratione Exorcista, asperget infirmum Aqua benedicta, & stans versus illum leget sequentia.

Psalmus 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quę circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in

via

via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri,& Filio:& Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſęculorum, Amen.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum. *Matth.* 15.

IN illo tempore: Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui nõ reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius,rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens,ait: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. At illa venit,& adorauit eum,dicens: Domine,adiuua me. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum,& mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli

edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

EXORCISMVS.

EXorcizo vos apostatici spiritus, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vt ab hac creatura Dei, Sanguine Christi de faucibus vestris erepta, continuò recedatis. Exorcizo vos per B. Mariam virginem Dei matrem, & omnes sanctorum Angelorum choros, & per merita omnium Sanctorum, qui paratam vobis gloriam, à qua per inobedientiam excidistis, fide & operibus consecuti, vestras ruinas in cęlestibus impleuerũt.

Exorcizo vos per sanctos Patriarchas & Prophetas, qui aduersus tenebras ignorantiæ quas mundo induxeratis, à Deo in vineã suam missi tamquam fideles operarij, illas non in se tantùm vicerunt, sed & ab aliorum cordibus expulerunt: propter quod & per vestram inuidiam lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, glorioso de vobis certamine in perpetuum triumphantes.

Exor-

Exorcizo vos per ſanctos Apoſtolos Chriſti, qui carne velatum Filium Dei ſimplici fide recipientes, veſtram proteruiam, qua Deum qui vos genuit dereliquiſtis, confunderunt, acceptaque gratia & Apoſtolatu ad obediendum fidei in omnibus, ſua prædicatione totum orbem terrarum ab infidelitate ad Creatoris noſtri agnitionem reduxerunt.

Exorcizo vos per quatuor Euangeliſtas, qui ſublimium myſteriorũ Dei cognitione, tamquam oculis pleni intus & foris, lumine Euangelij publicato, veſtram qua pro diis haberi volebatis impudentiam detexerunt.

Exorcizo vos per glorioſum exercitum ſanctorum Martyrum, qui vobis impiè ſæuientibus in eos, ſui ſanguinis & vitæ prodigi, pro iuſtitia & veritate agonizarunt vſque ad mortem. A quibus ſubacti & turpiter victi, erubeſcite; neque virtuti ſanguinis eorum quem pro Chriſto fuderunt, vlteriùs reſiſtere præſumatis.

Exorcizo vos per ſanctos Pontifices, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Chriſti, quam acquiſiuit Sanguine ſuo, eamque à vobis veſtriſque inſidiis indefeſſa vigilantia defenderunt.

Exorcizo vos per ſanctos Confeſſores, qui magna animi fortitudine mũdum cum omnibus deliciis contemnentes, cupiditatum

tum ſuarum victores extiterunt; & ſuperatis veſtris tentationibus, diuinorum mandatorum viam alacri charitate cucurrerunt.

Adiuro vos per ſanctos Eccleſiæ Doctores, qui non ſibi ſolis viuentes, poſtquam Deo per ſanctam cõuerſationem grati facti ſunt, ſcriptis quoque eamdem Eccleſiam illuminarunt, & cõtra hæreſum errores, quas numquam ſeminare deſiſtitis, munierunt, atque in Catholica fide conſeruarunt.

Exorcizo vos per ſanctos Abbates, Monachos, Eremitas, qui hominum mundanorum conſortia declinantes, atque in ſolitudinibus errantes, in montibus, ſpeluncis, & cauernis terræ, quæ loca tamquam veſtris ſpurcitiis conſecrata inhabitare anteà conſueuiſtis, impetus veſtros fortiter ſuſtinuerunt, & vobiſcum veluti cominus congreſſi, in propriis vos ſedibus expugnarunt.

Exorcizo vos per ſanctos Preſbyteros, qui diuinis aſtiterunt in conſcientia pura, & immaculati Agni oblatione, inter alia beneficia, fidelibus à Deo veſtrorum quoque conatuum exſufflationem frequenter impetrauerunt.

Exorcizo vos per ſanctas & prudentes Virgines & Viduas, quæ exhibuerunt corpora ſua hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, vt per continentiæ libamen, cogitan-

gitantes quæ Domini ſunt, & placerent cui ſe probauerunt, veſtras quotidiana exercitatione impugnationes & impuritates animo pluſquam femineo debellantes.

Hos igitur & omnes Dei Sanctos ſupplicitér inuocantes, rogamus Deum, vt Angelorum protectio, Patriarcharum fides, lumen Prophetarum, Apoſtolorum perfecta charitas, Martyrum ſanguis, Confeſſorum fortitudo, Monachorum religioſa deuotio, Virginum caſtitas, ſanctitas Viduarum, & omnium Sanctorum & Sanctarum merita fiant nobis contra vos in adiutorium, Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Alia formula exorcizandi obſeſſos & maleficiatos.

ANTE *omnia ſemper Exorciſta aſperget obſeſſum & aſtantes Aqua benedicta, eamq; ſæpiùs inter exorcizandum adhibebit. Deinde imponet ſtolam collo obſeſſi, illumq; & aſtantes ſeriò adhortabitur vt ſecum orent. Et ſignando ſeipſum ſigno Crucis, dicet:*

DEus in adiutorium ✠ meum intende: *Pſal.69.* Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne morêris.

Gloria Patri, & Filio.

Posteà flexis genibus clara voce leget Litanias Sanctorum prout suprà fol. 141. *Vel* Veni creator Spiritus, *&c. cum Collecta,* Deus qui corda fidelium, *&c. pro ratione temporis, & opportunitate Sacerdotis.*

Recitatis Litaniis, vsque Peccatores, Te rogamus audi nos, *surget, & conuersus ad afflictum, dicet:*

Vt hanc creaturam pretioso tuo Sanguine redemptam ab infestationibus dæmonium liberare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt hanc creaturam tuam à cruciatibus dæmonum liberare, & benedicere digneris, Te rogamus audi nos.

Vt

Vt hanc creaturam tuam à potestate dęmonum liberare, benedicere, & conseruare digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Pater noster, *&c.* *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo, Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui pro redemptione mundi voluisti à Iudæis reprobari, & à Iuda proditore osculo tradi, & à perfidis vinculis alligari, & sicut Agnus mansuetus ad victimam duci, atque in conspectu Pilati ignominiosè sisti, & à falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, conspui, & spinis coronari, colaphis cædi, clauis acutis perforari, & in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, lancea vulnerari. Tu Domine Iesu Christe, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus peccator recolo, & per sanctam

Crucem tuam te precor, vt nõ respicias peccata mea, atq; peccata huius creaturę tuę *N.* sed secundùm magnam misericordiam tuam libera eam à diabolo vexante; & mihi indigno famulo tuo præbe virtutem, vt valeam expellere omnes dæmones eam vexantes, per tua sanctissima verba. Qui viuis cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus: Per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, & semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui hostiles nequitias potenter expugnas, qui omnia per tuum verbum ex nihilo condidisti, qui Luciferum & sequaces eius superbos & rebelles de cælo expulisti, qui in Filio tuo ima summis reconciliasti, qui non vis mortem peccatoris, cui proprium est misereri semper & parcere, miserere huic creaturæ tuæ *N.* non respiciendo eius peccata & demerita, sed secundùm tuam clementiam libera eam ab omnibus laqueis malignorum spirituum, quibus alligatur, & ab omni infestatione & molestia ipsorum quibus torquetur. Sicut liberasti Mariam Magdalenam à septem spiritibus immundis, & filiam Chananææ à vexatione dęmonis;

nis; ſic hanc creaturam nunc etiam liberare digneris ab omnibus malignis ſpiritibus eã infeſtantibus. Et ſicut liberaſti Ionam de ventre ceti, & Suſannam de falſo crimine, & Dauid de manibus Saul, & tres pueros de camino ignis ardentis, & Danielem de lacu leonum; ita nunc eadem clementia liberare digneris hanc creaturam tuam *N.* Sanguine Filij tui redemptam, & vnda Baptiſmatis regeneratam, ab omni vexatione malorum ſpirituum. Et qui dediſti Apoſtolis poteſtatem ſuper malignos ſpiritus & virtutes eorum, ipſoſque fugandi à corporibus hominum, & curandi infirmos; ita nunc mihi indigno famulo tuo concedere digneris dono tuæ gratiæ virtutem fugandi iſtas contrarias poteſtates tenebrarũ ab hac creatura tua *N.* virtute tua, & inuocatione ſanctiſſimi nominis tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te ſupplices exoramus, vt imperes ſpiritibus iſtis qui hunc famulum tuum *N.* detinet, vt ab eo recedant: libera eum, quia credit in verum liberatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum: Qui tecum viuit, *&c.*

Hic Sacerdos ſurgat ab oratione, & aſperget obſeſ-

ſum Aqua benedicta, & dicet energumenus vel maleficiatus generalem Confeßionem vt fit initio Miſſæ, Confiteor Deo omnipotenti, *&c. vel lingua vulgari quæ ſolet præmitti Confeſſioni Sacramentali. Qua facta, Sacerdos impendet generalem abſolutionem, dicendo,* Miſereatur tui, *&c.* Indulgentiam, abſolutionem, *&c. poſteà leget ſequentes Orationes ſuper afflictum.* Oremus. *Oratio.*

DOmine Deus omnipotens, qui dixiſti conuerſionem te malle peccatoris, quàm mortem; ſuſcipe orationẽ quam pro famulo tuo *N.* ante conſpectum gloriæ tuæ effundimus, vt pariter eum & à peccatis omnibus exuas, & à vexatione diabolicæ fraudis clementer eripias. Per Dominum noſtrum, *&c.* Oremus.

REſpice Domine ſuper hunc famulum tuum, pro quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. Oremus.

PReces noſtræ humilitatis pro tuitione famuli tui *N.* oblatas, petimus Domine dignanter exaudi, & ab eius vexatione malignos ſpiritus tua poteſtate compeſce. Per Dominum noſtrum.

Ore-

Oremus.

DOmine Deus virtutum, ſuſcipe preces quas tibi indigni offerimus pro famulo tuo *N.* vt indulta peccatorum ſuorum remiſſione, eum ab opprimentis diaboli inuaſione digneris eripere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *&c.* Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui peccantium animas non vis perire; contine iram quam meremur, & reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum *N.* miſerabili afflictione laborantem. Per Dñm noſtrum, *&c.* Oremus.

DEus inuictæ virtutis auctor, & ineffabilis imperij Rex, ac ſemper magnificus triumphator, qui inimicos & aduerſarios nominis tui ad honorem gloriæ tuæ potenter expugnas; te ſupplices deprecamur, vt hunc famulum tuum *N.* ab inuidorum ſpirituum vexatione ad laudem nominis tui liberare digneris. Per Dominũ noſtrum. *&c.*

Oremus.

SVccurre, quæſumus Domine, famulo tuo *N.* diabolicis tentationibus crudeliter afflicto, vt per ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctorum Petri & Pauli, omniumq; Sanctorum & Sanctarum interceſſionem ad priſtinam mentis & corporis ſanitatem pertingere mereatur, &

in

in tua deinceps protectione, ad tui nominis gloriam ſecurus permaneat. Per eumdem Dominum, *&c.*

Conſequẽter leget Exorciſta ea quæ ſequuntur.

Lectio libri Sapientiæ. *Eccli. 36.*

ALleua Deus manum tuam ſuper gentes alienas, vt videant potẽtiam tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis, vt cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus, quoniam non eſt Deus præter te, Domine. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manũ, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduerſarium, & afflige inimicum. Feſtina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua. In ira flammæ deuoretur qui ſaluatur: & qui peſſimant plebem tuam, inueniant perditionem. Cõtere caput principum inimicorum, dicentium: Non eſt alius præter nos. Tu autem Domine miſerere noſtri. *Reſp.* Deo gratias.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Marcum. *Marc. 16.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Signa

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta, deleantur omnia nostra delicta, & extinguatur in te omnis virtus diabolica.

Posteà prosequetur exorcizationem.

ADIVRATIO.

ADiuro te ✠, dæmon, per illum cuius natiuitatem Angelus Mariæ Virgini annuntiauit, quiq́ue pro nobis peccatoribus descendit de cælis, ET INCARNATVS EST de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, ET HOMO FACTVS EST. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui panniculis inuolutus in præsepio iacere voluit; qui infantiles necessitates sustinens, vberibus virgineis lactatus, pastoribusq́ue nuntiatus fuit; quiq́ue, vt Legem impleret, circumcidi voluit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdemmet qui Magis (stellâ præuiâ) manifestum se fecit, in temploq́ue præsentatus in vlnis Simeonis exceptus est, & in Ægyptum fugit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui inuentus in templo in medio Doctorum fuit, & qui à Ioanne

bapti-

baptizari voluit,in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit, & à diabolo tentari ſe permiſit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui vocatus ad nuptias, aquam conuertit in vinum, quiq́ue cæcos illuminauit, ſurdos fecit audire, claudos ambulare, & qui infirmos propriâ virtute & poteſtate ſanauit. Adiuro te ✠, dæmon, per illum qui dæmones è corporibus obſeſſis expulit,qui leproſos mundauit, mortuos ſuſcitauit,cæco nato lumen reſtituit, ſuper aquas ſiccis pedibus ambulauit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui in monte ſancto coram diſcipulis ſuis transfiguratus eſt,& qui Chananæam pro filia ſua rogantem exaudiuit, mulieremq́ue deprehenſam in adulterio monuit non ampliùs peccare, & ſine cõdemnatione dimiſit. Adiuro te ✠, dęmon, per eumdem qui publicanum ad pœnitentiam vocauit, Petrum lacrymantem ſuſcepit, quiq; ex itinere fatigatus corpus ſuum fame & ſiti afflixit, & compatiendo noſtris calamitatibus, lacrymatus eſt. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui immeritò dæmoniacus & potator vini eſt appellatus, qui indigentiam paupertatis ſuſtinuit,quiq́ue cum Maria & Martha ad monumentum Lazari defuncti plorauit, ipſumq́ue Lazarum quatriduanum fœtentem

tem è monumento excitauit; quiq́ue præuidens desolationem Ierusalem, fleuit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui dignatus est pedes discipulorum suorum lauare, & qui in cœna panem & vinum suis sanctissimis verbis in Corpus & Sanguinem suum conuertit, & appropinquante termino suæ passionis, vsque ad sanguineum sudorem ad Patrem orauit, & à Iuda suo discipulo osculo se tradi permisit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdemmet qui ab impiis derisus, & vinculis ligatus, & ad Pontifices ductus, in concilio Iudæorum accusatus, pugnis & alapis in faciem demum cædi voluit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui sputis & opprobriis affectus, facie velari, colaphis cędi, palmis percuti, & variis iniuriis blasphemari, ad columnam nudus ligari, & pro nobis vsque ad sanguinem verberari voluit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui à Pilato traditus fuit militibus, & ab eis veste purpurea indutus, spinis coronatus, arundine percussus, & genuflexionibus subsannatus fuit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui Rex Iudæorum iustè nominatus, à Pilato iniustè iudicatus, veste purpurea exutus, & vestimentis suis denuò indutus, ligno crucis oneratus, ad montem Caluariæ ductus, & cum latronibus deputatus est.

Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem, qui vestibus propriis coram omnibus exutus, in cruce eleuatus brachiis extensis, durissimis clauis in ea affixus, à prætereuntibus, ab ipsisque Pontificibus blasphematus fuit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem, cuius labia dulcissima & melliflua siti aruerunt, quique faciem suam speciosam verberibus affectã, vt leprosam ostendit, & pro suis crucifixoribus Patrem exorauit, latronem in cruce exaudiuit, matrẽ propriam Ioanni cõmendauit. Adiuro te ✠, dęmon, per eumdem qui sitiens felle & aceto potatus fuit, quique ad Patrem suum magna voce clamans, dixit: In manus tuas commendo spiritum meum: qui venerandum illud caput suum inclinans, spiritum emisit. Adiuro te ✠, dęmon, per eumdemmet qui pretioso Sanguine suo totum mundum redemit; quique lanceâ in latere suo perfossus fuit, ex quo sanguis & aqua exiuit. Adiuro te ✠, dæmon, per eumdem qui de cruce vespere fuit depositus, quique in monumento nouo sepultus, maxima cum virtute ad inferos descendens portas æreas confregit, & potentiâ suâ diabolum vicit, & infernum expoliauit. Adiuro te ✠, dæmon, per eũdem qui tertia die resurgens à mortuis, Mariæ Magdalenæ & discipulis suis apparuit, die verò quadragesi-

gesima illis videntibus in cælum ascẽdit, & die Pentecostes Spiritum sanctũ Paraclitum in linguis igneis super illos misit, & per eumdem qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & te maledicte diabole, & sæculum per ignem, vt statim exeas & recedas ab hoc famulo Dei *N*. cum omnibus iniquitatibus, maleficiis, incantationibus, ligaturis, & facturis tuis, numquam ad eum rediturus. Nec te lateat, maledicte satan, nec te lateat, creatura damnata, & reprobata, & maledicta à Deo in æternum propter nequitiam tuam. Nec te lateat, spiritus immunde, vbicumque latitas in corpore istius creaturæ Dei *N*. imminere tibi diem iudicij sempiterni, diemque qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi & omnibus angelis tuis apostaticis æternus superueniet interitus. Et ideò pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Iesu Christo Deo & Saluatori nostro, da honorem Spiritui sancto Paraclito, in cuius nomine atque virtute ego præcipio tibi, immunde spiritus, vbicumque latitas in corpore istius *N*. vt exeas & recedas ab eo, & numquam de cetero ad ipsum accedas: quia istum Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Ba-

ptiſmatis, dono ſuæ gratiæ vocare dignatus eſt, vt fieret eius templum, per aquam regenerationis, & remiſſionem omnium peccatorum, & per nomen & virtutem eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

ADIVRATIO.

VRgeat ergo te Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, vrgeant te Angeli Dei, vrgeant te Archangeli, vrgeant te Patriarchæ & Prophetæ, vrgeant Apoſtoli & Euangeliſtæ, vrgeant te Martyres, vrgeant te Confeſſores, vrgeant te Virgines, vrgeant te omnes Sancti & electi Dei, & omnes artes & inſidiæ tuæ indies deficiant. Non ergo inuideatis vlteriùs, ô rebelles Deo, huic *N.* priſtinam fortitudinem & ſanitatem, non vexetis eum ampliùs, nec impediatis quærentem vitam æternam.

Alia ADIVRATIO.

CHriſti nomine inuocato, & auctoritate ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam ſuis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, & omnibus in ipſum credentibus dedit, dicẽs:
Luc. 10. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper omnem
Marc. 16. virtutem inimici. Et in alio loco; Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine

meo

meo dæmonia eiicient, & ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt; ego peccator & miniſter Chriſti adiuro vos ✠ omnes nefandos & Deo rebelles ſpiritus, iuſto Dei iudicio ęternis & infernalibus ignibus deputatos, per omnipotentiam Dei Patris, & per ſapientiam Filij, & per virtutem Spiritus ſancti, & per immenſitatem, æternitatem, pulchritudinem, nobilitatem & excellentiam Dei: vt ab hac creatura Dei recedatis, & cedendo agnoſcatis quòd ipſe eſt Deus omnium, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, cui omnis decor & gloria conuenit, quem omnes cæleſtes poteſtates adorant & contremiſcunt: & eadem auctoritate præcipio vobis vt hanc creaturam Dei N. ſanam, vt inueniſtis, relinquatis, numquam ad eam ampliùs redeuntes; & ad locum, vbi nullam creaturam Dei lædere poſſitis, protinus abeatis; per illius virtutem & potentiam qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem.

EXORCISMVS.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Sit nomen Dñi benedictum. *Reſp* Ex hoc nunc & vſque in ſæculum. *Verſ.* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater

noſter. *Verſ.* Saluum fac ſeruum tuum. *Reſp.* Deus meus ſperantem in te. *Verſ.* Nihil proficiat inimicus in eo. *Reſp.* Et filius iniquitatis nõ apponat nocere ei. *Verſ.* Mitte ei Domine auxilium de ſancto. *Reſp.* Et de Sion tuere eum. *Verſ.* Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. *Reſp.* A facie inimici. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DOmine Deus, propitius eſto mihi peccatori, qui omnes homines vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis tuæ venire: ſuſcipe orationem meam, quam pono ante conſpectum clementiæ tuæ, pro famulo tuo *N.* qui à dæmonio vexatur, & eum ad miſericordiam tuam peruenire concede. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Exi ab eo, ſatana, & da locum Spiritui ſancto Paraclito: exi foras, ſpiritus immunde, ab hac creatura Dei *N.* in nomine Ieſu.

Oremus, fratres chariſſimi, pro hac creatura Dei *N.* quæ ſecundùm carnem à dæmonio vexatur: vt deſuper illi mittat Deus Angelum pacis & Angelum ſalutis cum medela cęleſti, & vt eam viſitare & liberare dignetur.

Ore-

Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per impoſitionē manuum mearum, virtute tua, refugiat diabolus ab vniuerſis compaginibus membrorum iſtius creaturæ tuæ *N.* in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos ſuo Sanguine redemit. Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te inuoco, & nomē ſanctum tuum, ac præclaræ maieſtatis tuæ clementiam ſupplex depoſco, vt mihi auxilium tuum præſtare digneris aduerſus hunc nequiſſimum ſpiritum: vt vbicumque ſit, audito nomine tuo velociter exeat & recedat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

ADIVRATIO.

IPſe tibi imperat, maledicte diabole, qui ventis, ac mari, & tempeſtatibus imperauit. Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui te ſuper pectus tuum ire præcepit. Audi ergo, ſatana, & time, &

victus & prostratus recede, adiuratus in nomine Domini nostri Iesu Christi. Tu ergo, nequissime spiritus, qui es inimicus humani generis, mortis auctor, iustitiæ osor, malorum radix, fons vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, causa discordiæ, origo auaritiæ, excitator dolorum, qui resistis Sanctis, cum scias te amittere vires per eum qui in Isaac est immolatus, in Ioseph venumdatus, in agno Paschali occisus, & in homine crucifixus, ab eodẽ superatus recede in nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti: & da locum Spiritui sancto per hoc signum sanctæ Cru✠cis Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui illum satanam refugam tyrannum deputasti gehẽnæ: qui Vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem leonem contereret: velociter attende, & accelera vt eruas hominem, ad imaginem & similitudinem tuam formatum, à ruina & dęmonio meridiano. Da, Domine, terrorẽ tuum super bestiam, quæ exterminauit vineam tuam: da fiduciam seruis tuis contra hunc nequissimum spiri-

ſpiritum fortiter ſtare: exaudi ſperantes in te, quia tu es Deus ſolus: & ne dicat, ſicut olim in Pharaone dixit; Deum non noui, & Iſrael non dimittam. Vrgeat illum, Domine, potens dextera tua diſcedere à famulo tuo *N.* nec diutiùs præſumat tenere captiuum hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in fine ſæculi per Sanguinem Filij tui redemiſti. Per eumdem Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſęculum per ignẽ. *Reſp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: te ſupplices deprecamur, impera diabolo qui hunc famulum tuum *N.* detinet, quem Filius tuus vnigenitus redemit ſuo Sanguine, vt ab eo recedat. Libera eum à vexatione immundorum ſpirituum vt maieſtati tuæ ſecura mente deſeruiat, conſecutus gratiam Spiritus ſancti. Qui tecum & cum vnigenito Filio tuo viuit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. Oremus.

REpelle, Domine, ab hoc famulo tuo *N.* omnem infeſtationem inimici: vt redintegrata ſua priſtina ſanitate, ad gratiarum tua clementia redeat actionem. Per Chriſtum Dominum noſtrũ. *Reſp.* Amen.

Oremus.

DEus conditor & defensor humani generis, qui hominem ad similitudinem tuam formasti: respice super hunc famulum tuum *N.* qui dolis inuidi serpentis appetitur, quem vetus aduersarius & hostis antiquus formidinis horrore circumuoluit, & sensum mentis stupore defigit, atque terrore conturbat, & motu trepido timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, & fallaces insidias eius amoue, vt impius tentator effugiat: sitque nominis tui signo famulus tuus in anima tutus & corpore. Tu pectoris eius interiora custodias, viscera regas, cor confirmes. In anima aduersariæ potestatis tentamenta euanescant. Da, Domine, ad hanc inuocationem nominis tui gratiam, vt qui hucusq; terrebat, territus exeat, & victus abscedat; tibiq; possit hic famulus tuus corde firmato & mente sincera debitum præbere famulatum. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amẽ.

ADIVRATIO.

ADiuro vos, spiritus, & angeli maligni, & persecutores Christianorum, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ: per aduentum Domini nostri Iesu Christi: per annuntiationem Gabrielis Archangeli

ad

ad Mariam virginem, per natiuitatem Domini, per humilitatem infantiæ eius, & persecutionem ab Herode, per passionem Domini nostri Iesu Christi, per patibulum crucis eius, per sepulturam eius: per resurrectionem eius, per ascensionem eius in cælum, & per aduentum eius ad iudicandum inter iustos & peccatores: & per omnes etiam virtutes cælorum, & per choros Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, atque omnium Sanctorum Dei, vt non præsumatis infestare aut vlteriùs fatigare hunc famulum Dei N. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, petimus humili prece diuinam clementiam tuam, vt famulum tuum N. quem conspicimus ab antiquo hoste satana grauiter tentari, & in sensu suo perturbari atque vexari, ab eius impetu clementer eripias; & hominem tuis manibus formatum, à ruina & dęmonio meridiano liberes: Per Dominum nostrum Iesum Christum, *&c.* Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui dedisti potestatem discipulis tuis super omnia dæmonia, vt eiicerent ea de corporibus obsessis:

ſis: nos indigni ſerui tui inuocamus nomen ſanctum tuum ſuper hunc famulum tuũ *N.* quem vexat diabolica ſæuitia, vt per virtutem tuam diabolum conteras, & eiicias de corpore huius facturæ tuæ, fiatque mundum & expiatum à dæmone, quod Baptiſmi aqua ablutum eſt & purificatum: Per te, Chriſte ſaluator mundi, qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, *&c. Reſp.* Amen.

EXORCIZATIO.

EXorcizo te, immunde ſpiritus, draco, baſiliſce, ſerpens noxie, per Deum Patrem omnipotentem, per verbum veritatis, & per ſignum ſanctæ Cru✠cis Ieſu Chriſti Nazareni, & per Agnum immaculatum, per Filium Dei de altiſſimis progreſſum, de Spiritu ſancto conceptum, de Maria virgine natum, vt recedas ab hoc famulo Dei *N.* Adiuro te per eum, quem Ioannes videns exclamauit, dicens; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Alia EXORCIZATIO.

EXorcizo te, ſpiritus immunde, exi ab hac creatura Dei per inuocationẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non tibi impero ego peccator, ſed tibi imperat agnus immacula-

culatus Iesus Christus Dominus noster, Dei filius. Vrgeant te de te triumphantes Angeli atque Archangeli, vrgeant te Apostoli, vrgeant te Martyres, vrgeant te Confessores, vrgeant te Virgines. Deficiant vires tuæ diabolicæ. Relinque pristinam fortitudinem membris eius, & sensibus sanitatem. Non in esca, non in potu ei noceas: non superuenias vigilanti, nec dormienti: nec te moueas contra eum, nec impedias quærentem vitam æternam. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen. Oremus.

TE ergo, Domine Deus noster, supplices exoramus; vt visitatione tua sancta serues famulum tuum *N.* ne inimicus tuus in anima ista triumphare incipiat.

Vnde, maledicte satana, recognosce sententiam tuam: da honorem Deo ✠ viuo & vero, da honorem Iesu ✠ Christo filio eius, & Spiritui ✠ sancto paraclito, & recede ab hoc famulo Dei *N.* Tibi præcipio, damnate immunde spiritus, hostis humani generis, per Deum Patrem omnipotentem, inuisibilem, incomprehensibilem, atq; immortalem, qui fecit cęlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, eradicare ab hoc famulo Dei *N.* ita vt vltrà in eo locum non habeas; sed tu, Deus omnipotens, propitius esto, vt

corpus

corpus à dæmonibus obſeſſum, à tota nequitia diabolica gratia tua eximatur. Per Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Poſſunt etiam dici Euangelia aliqua, ſcilicet, Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem. *fol.* 40. *vel alia fol.*41. *&* 77. *Item Pſalmi ſequentes.* *Pſalmus* 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur & reuereantur: qui quæruntanimam meam.

Auertantur retrorſum,& erubeſcant:qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge,euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper,Magnificetur Dominus,qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne morêris.

Gloria Patri, & Filio. *Pſalmus* 10.

IN Dño confido,quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in mõtem ſicut paſſer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum,parauerunt ſagittas ſuas in pharetra:

vt

vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes eius.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Gloria Patri. *Pſalmus* 51.

QVid glòriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?

Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.

Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.

Dilexiſti omnia verba præcipitationis: lingua doloſa.

Propterea Deus deſtruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum

ride-

ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: & præualuit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei: speraui in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

Psalmus 67.

EXurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmũ dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus, qui inhabi-

habitare facit vnius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui: cùm pertranſires in deſerto.

Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſrael.

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri.

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex,

millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus, Ex Baſan conuertam: conuertam in profundum maris.

Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

In eccleſiis benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.

Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

Man-

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite Dño.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sęculorum, Amen.

Litaniæ cum Precibus & Orationibus suis dicantur prout fol. 141. *Deinde sæpiùs repetantur isti Versus sequentes, signando energumenum signo Crucis vel eius imagine: & ad singulos Versus assistentes respondeant*: Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Vers.* Ecce Cru✠cem Domini, fugite partes aduersæ.

Resp. Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Vers.* Ecce vexillum redemptionis nostræ, ideò fugite partes aduersæ. *Resp.* Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. *Vers.* Ecce signũ confusionis vestræ, ideò fugite partes aduersæ. *Resp.* Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Quandocumque Exorcista voluerit concludere pro illa vice exorcizationem, & necdum diabolus reliquerit obsessum, dicet Exorcista sequentem Protestationem magna fide & fiducia cum subsequente Exorcismo.

PROTESTATIO.

QVandoquidem, superbi ac maledicti dæmones, ad diuini nominis inuocationem ab huius creaturæ eius vexatione non desistitis, ne illud vobis impunè futurum existimetis, quoniam ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum pars erit calicis vestri.

EXORCISMVS.

IMperet Deus vobis omnibus spiritibus immũdis qui estis in hoc corpore, quatenus non præsumatis ascendere superiùs ad caput vel ad membra huius creaturę Dei *N.* aut ipsam lædere: sed sinatis ipsam orare, comedere, bibere, quiescere, & omnia illa agere quæ spectant sanitatem corporis & animæ suæ, atque ad honorem Dei omnipo-

nipotentis: Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde asperget eum & assistentes Aqua benedicta, dicens: Discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat; Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Et breuiter afflictum in materna lingua consolando & commonendo, dimittet illum in domum suam cum benedictione.

EXORCISMVS ad compellendum dæmonem vt restituat chirographum quo homo se illi obligauit.

Oremus. *Oratio.*

CLEMENTISSIME Deus, cuius potentiæ non est finis, qui in omnes creaturas tuas & res earum supremum habes semperque retines dominium, ita vt nihil sit quod tuo etiam per apostasiam eximi possit imperio. Peccauimus in te, tuamque prouocauimus iustissimam iracundiã, quando tuis mandatis non obediuimus. Atque tunc maximè, quando ab amicitia tua & Dño fugientes, te abnegauimus, & impiorum dæmonum cõsortio nos adiunximus:

& quasi non sufficeret abnegasse te, etiam per scripturam nos dæmonibus obligauimus, & chirographum illud voluntariæ obligationis contra te illi tradidimus asseruandum. Verùm, clementissime Domine, quia misericordiæ quoque tuæ non est numerus, & tibi proprium est misereri semper & parcere; hæc tua creatura, quæ te abnegato se dæmonibus tradito chirographo obligauit, in se infinita tua bonitate reuersa, suam detestatur impietatem, & timore tuo compuncta, abnegato rursus dæmone, tibi vero suo Domino subdi, atque in gratiam tuam recipi contrito corde desiderat. Scimus, Domine, te cor contritum & humiliatum numquam despicere, neque chirographum illud misericordiæ tuæ vllum impedimentum ponere posse; ideoque supplices te deprecamur, vt abundantia pietatis tuæ non tantùm huius peccati impietatem, per Sanguinem filij tui Domini nostri Iesu Christi remittas, sed & dæmonem ad restituendum chirographum obligationis & traditionis illius verbo virtutis tuæ compellas: ne de sua tyrannide glorietur, ne ius aliquod prætendat in hominem, quem per Filium tuum peccatorum suorum vinculis absolui deprecamur. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Exor-

EXORCISMVS.

EXorcizo te, impie ſatan, qui cùm tuo excideris principatu, tyrannicum in homines ſemper affectas imperiũ. Exorcizo te per Ieſum Chriſtum, qui venit in hũc mundum peccatores ſaluos facere, vt ab hac creatura, quæ tuis fraudibus decepta ſe tibi tradidit, omne tuum imperium feſtinus amoueas. Ex hoc enim rurſus te deſerens, diuinæ miſericordiæ ſe committit, vt ei ſeruiat cui ſe totam debet, quiq́, ſeruiẽtibus ſibi æternæ vitæ mercedem promiſit. Exorcizo te per pretioſum Sanguinem Ieſu Chriſti, quo deletum eſt chirographum decreti quod erat nobis cõtrarium, ita vt ſuſcipiente Ieſu peccatorem in gratiam ſuam, aduerſus eum nihil ampliùs debeas præſumere, vt chirographum quo hæc creatura ſe tibi obligauit, cùm per Sanguinem Chriſti abolitum ſit, hîc reſtituere non morêris.

Audi maledicte ſatan, Dei ſeruus nullam habet poteſtatem, vt inuito Domino ſuo, alterius ſe ſubiiciat ſeruituti: vnde tu fruſtrà in vano iſto gloriaris chirographo; ac proinde in nomine Domini tibi præcipio vt illud reſtituas, nec penes te diutiùs ſerues: vt omnibus conſtet, Deo peccatorem in gratiam recipiente, nullum tibi in animam eius reſtare imperium.

Adiuro te per eum, qui te, cùm in atrio tuo tamquam fortis armatus gloriareris, eaque quæ possidebas in pace tenere præsumeres, infinitis partibus fortior superueniẽs vicit, & atrio te eiecit, tuaque arma in quibus vanè confidebas abstulit, & spolia distribuit. Redde igitur nunc chirographum, quo hæc Dei creatura stultè seipsam tibi tradidit in seruitutem. Redde, inquam, in nomine eius à quo es deuictus: & cùm tuam tyrannicam potestatem iustè amiseris, non præsumas illius vanum chirographum diutiùs retinere. Iam enim per pœnitentiam hæc Dei creatura vero suo Domino se restituit, & tyrannidem tuam spernit, atque in Dei misericordia aduersus tuas impugnationes sperat inuenire protectionem, adiuuante sanctissima & gloriosissima virgine Dei genitrice Maria, cuius intercessione quod per se consequi digna non est, à filio eius Iesu Christo obtineat. Per eumdem Dominum nostrum.

EXORCISMVS ad compellendum dæmonem vt traditam sibi ab homine Eucharistiam restituat.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui Filium tuũ, vt assumptæ carnis œconomiã im-

ple-

pleret, in deserto tentari à diabolo, & supra pinnaculum templi statui, atque in mõtem excelsum transferri voluisti; rogamus immensam clementiam tuam, vt diaboli temeritate, qua Sacramentum Eucharistiæ, in quo idem Filius tuus corporaliter præsens est, auferre pręsumpsit, coërcita, eum per sanctos Angelos tuos ad illud restituendum in locum per nos designatum compellas. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui sub speciebus panis & vini sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sic instituisti, vt quamuis eo sacrum Corpus & Sanguis tuus pretiosus substantialiter contineatur, omnia tamen circa illud admitti possent, quibus ratione specierum visibilium panis & vinum in se sunt obnoxia: supplices te rogamus, vt dimissa iniquitate, qua hic sacrilegis manibus idem Sacramentum dæmoni tradere asportandum veritus non est, verbo virtutis dæmonem ad illud in loco ad hoc præparato restituendum compellere digneris; vt serui tui, qui de tanti Sacramenti iniuria contristantur, ad nominis tui gloriam de eiusdem

restitutione lætentur: Qui viuis & regnas cũ Deo Patre in vnitate Spiritus sãcti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

ADIVRO te, iniquissime spiritus, quo hominem vt tuæ captiuitatis vinculis tenaciùs innodares, eò dementiæ induxisti, vt sacrosanctum Eucharistię Sacramentum tibi tradere non sit veritus, quod & tu suscipere, & quò à Deo permissus es, asportare pręsumpsisti. Adiuro te per illud ipsum Sacramentum, coram quo te contremiscere necesse est; vt sicut illud ab homine traditum suscepisti, ita ad locum à nobis designatum restituere non morêris.

Adiuro te per sacratissimum Corpus & Sanguinem Christi, quæ in hoc Sacramento verè & realiter contineri certissima fide credimus, vt cùm tu Sacramentum illud adorare & debitum illi honorem impendere nec possis, nec velis; ad locum istum continuò illud restituas, ab hominibus, prout oportet, colendum atque adorandum.

Adiuro te per Iesum Christum Regem Regum & Iudicem viuorum & mortuorum, qui sanctum Eucharistiæ Sacramentum non dæmonibus, sed nobis hominibus in spiritualem cibum potumque reliquit, vt fracta contumacia tua, virgæ eius ferreæ

sub-

ſubiectum te vel inuitus agnoſcas, & horrore cruciatus æterni, quem talibus tibi factis accumulas, eueſtigiò ſanctiſſimum illud Sacramentum, quod aſportare non es veritus, loco à nobis deſignato, ſine aliqua læſione aut perturbatione reſtituas; vt cùm illius perceptione indignus ſis, ab homine, qui per illud veram vitam conſequatur iuxta Chriſti promiſſionem, ſumi poſſit.

Nec te lateat, ſatana, nullam tibi per hoc facinus occaſionem dari gloriandi contra Chriſtum, quaſi in Corpus illius habeas poteſtatem. Species tantùm ſunt, quas impia hominis fretus voluntate, mouere potuiſti: in ipſum verò Chriſti Corpus nihil potes, ſed ante illud, etiam cùm ſpecies mouere præſumis, horreſcere cogeris & contremiſcere.

Quid ergo moraris? in nomine Ieſu Chriſti tibi mandamus, vt Sacramentum quod impiè tranſtuliſti, huc reſtituas, & Dei ac Iudicis tui timore compulſus, hac ipſa reſtitutione confitearis, nihil te contra hoc Sacramentum poſſe, ſed ſacrilegi dumtaxat hominis fuiſſe miniſtrum.

GRA-

GRATIARVM ACTIO LIBERATO DÆMONIACO.

SI quando energumenus Dei gratia & fauore erit liberatus, obseruabit Exorcista ea quæ habentur in Instructione, præmissa gratiarum actione in hunc qui sequitur modum, alta voce.

HYMNVS *SS. Ambrosij & Augustini.*

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cęli, & vniuersæ potestates.

Tibi Cherubim & Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cæli & terra: maiestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia,

Pa-

Patrem immensæ maiestatis.

Venerandum tuum verum, & vnicum Filium,

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni: quos pretioso Sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis: gloria munerari.

Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos vsque in æternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos;

quem-

quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui: non confundar in æternum.

Quo finito leget ſequentia: Verſ. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. *Reſp.* A templo ſancto tuo quod eſt in Ieruſalem. *Verſ.* Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. *Reſp.* Et ſalutare tuum da nobis. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

GRatias agimus tibi, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: gratiàs agimus tibi Chriſte, Verbum æterni Patris: gratias agimus tibi Spiritus alme: gratias agimus Sanctis omnibus, tum Angelis, tũ hominibus; quia omnipotenti virtute Dei eliſus eſt draco. Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſerere famulo tuo *N.* à diabolica poteſtate liberato, & in eius adiutorium ſanctum dirige Michaëlem, qui eum protegat, viſitet, atque defendat ab omnibus inimicis ſuis. Qui viuis & regnas, *&c.*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulũ tuum *N.* à vexatione ſatanæ & miniſtrorum eius, mitte in eum ſeptiformem Spiritum ſanctum

ctum tuum paraclitum de cælis. *Oratio.*

QVæsumus omnipotens Deus, famulum tuum *N.* propitius respice; vt te largiente regatur in corpore, & te seruante custodiatur in mente. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Lectio beati Pauli Apostoli. 2. *Cor.* 1.

BEnedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Tu autē Dñe miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundum Lucam. *Luc.* 10.

IN illo tempore: Reuersi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. *Resp.* Laus tibi Christe.

Oremus.

ORamus te Deus omnipotens, vt spiritus iniquitatis ampliùs non habeat potesta-

teſtatem in hoc famulo tuo *N.* [*vel* hac famula tua *N.*] ſed vt fugiat, & non reuertatur. Ingrediatur in eum [*vel* in eam] Domine, te iubente, bonitas, & pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem redempti ſumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiſcum eſt. Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſęcula ſæculorũ. *Reſp.* Amẽ.

Oremus.

SAnctificet te Deus ſignaculo ſanctę Crucis ✠ ſuæ, vt recedant à te omnes inimici tui. Defendat te Ieſus Chriſtus filius Dei viui per ſignum ſanctæ ✠ Crucis. Defendat te Deus ab omnibus malis præſentibus & futuris, exterioribus & interioribus. Signo ✠ te ſignaculo ſanctæ Crucis, vt à perſecutionibus diaboli liberet te Deus. Signaculo huius Crucis ✠ proſternantur ipſi dæmones aduerſarij tui, & fugiant à te. Per iſtius ſanctæ Crucis ✠ ſignaculum liberet te Deus à periculis omnibus: & mittat ſanctos Angelos ſuos, qui te cuſtodiant. Benedictio Dei Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ ſancti, ſit ſuper te. Virtus ſanctæ Crucis ✠ ſit ſuper te, intra te, circa te, ante te, & poſt te, & maneat tecum in ęternum. *Reſp.* Amen.

Benedictio ✠ beatæ Mariæ matris Dei ſit ſuper te. Benedictio ✠ Patriarcharũ, Prophetarum,

rum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei sit super te. *Resp.* Amen.

Hîc benedicet liberatum.

BEne✠dicat tibi Dominus noster Iesus Christus, & custodiat te. *Resp.* Amen.

Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. *Resp.* Amen.

Pax & benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat tecum in æternum. *Resp.* Amen.

Pro occasione data instruet Exorcista liberatum lingua materna, materia desumpta ex sequentibus sententiis, & iuxta ea quæ dicta sunt in Instructione.

ECce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ioan. 5.*

Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. *Marc. 5.*

Vade in pace, & Dominus tecum sit in vltionem inimicorum nostrorum. *Iudith 8.*

Vade & reuertere, quod enim meum erat, feci tibi, & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. Dei enim est & adiuuare, & in fugam conuertere. *3. Reg. 19. 1. Reg. 1. 2. Paral. 25*

MANVALIS EXORCISMORVM PARS TERTIA,

Continens modum & praxim exorcizandi & curandi ſpiritualiter omne genus maleficiorum ſeu incantationum quibus homines in propriis corporibus, & aliis bonis externis, à malis ſpiritibus vel maleficis ope dæmonum affliguntur.

EXORCISMVS pro maleficiato in proprio corpore.

PRÆTER *Inſtructiones generales in prima Parte huius Manualis poſitas, ſæpè etiam Paſtores & alij curam afflictorum gerentes perlegent ea quæ de hoc argumento habentur in Rituali Romano & in Paſtorali Mechlinienſi.*

Quando Paſtor vel Exorciſta aliquis ex magnis & probabilibus indicis (de quibus in Inſtructione) deprehendet aliquem in corpore ſuo eſſe maleficiatum: dictus maleficiatus exorcizan-

cizandus, si per infirmitatem possit, veniet ad Ecclesiam ante meridiem, & præmissa Confessione & sacra Communione, flectet genua, vel sedebit ante altare Venerabilis Sacramenti, vel beatissimæ Virginis, vel alterius Sancti vel Sanctæ. Si verò domi propter infirmitatem debet exorcizari, ante imaginem Crucifixi, aut beatissimæ Virginis; & corde sursum ad Deum eleuato, manu tenebit cereum benedictum accensum, vel iuxta eum ponetur.

Sacerdos exorcizaturus, alba vel superpelliceo cum stola indutus, aliam stolam afflicto super humeros in modum Crucis imponet, Aqua benedicta afflictum & circumstantes asperget, illósque inuitabit ad sedulò orandum cum ipso. Quibus ita dispositis, dicat primùm,

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

DEus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam donare dignatus es, vt quidquid in tuo nomine ab iis agitur, à te fieri credatur: quæsumus clementiam tuam, vt quidquid modò visitaturi sumus, visites, quidquid benedicturi, benedicas: sitq; ad nostræ

humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde flexis genibus alta voce legat Litanias Sanctorum, prout habentur suprà fol. 141.

Psal. 19. *In fine* Pater noster. Aue Maria. *Vers.* Exaudiat te Dñs in die tribulationis. *Resp.* Protegat te nomen Dei Iacob. *Vers.* Mittat tibi auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tueatur te. *Vers.* Impleat Dominus omnes petitiones tuas. *Resp.* Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens clementissime Deus, & bonitatis infinitæ, qui secundùm multitudinem sapientiæ & misericordiæ tuæ quos diligis castigas, & flagellas omnem filium quẽ suscipis: te suppliciter inuocamus, vt famulo huic tuo [famulæ huic tuæ] *N.* qui [quæ] in corpore suo membrorum debilitatem & dolorem patitur, gratiam tuam conferre digneris, vt quidquid ab eo [ea] humana fragilitate peccatum, ignoscere; quidquid diabolica in eo [ea] prauitate corruptum aut violatum est, purgare, restituere,

tuere, ſanare digneris, nocumento omni ac dolore ſublato, cunctiſq; malignorum ſpirituum peſtiferis machinamentis procul depulſis.

MIſerere Domine cõtritionis & pœnitentiæ, miſerere gemituum & lacrymarum illius cunctorumque circumſtantium, gloriam tuam & miſericordiam pro illo [illa] humiliter implorantium: & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua, ad tuæ gratiam reconciliationis clementer admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oremus.

DEus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu: inclina, quæſumus, auré tuam ſupplicationibus noſtris; & famulum tuum [famulam tuam] aduerſa corporis valetudine laborantem clementer viſitare, oculiſque tuæ miſerationis reſpicere digneris, cæleſtemque ei & ſalutarem medicinam impendere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oremus.

DEus humanæ infirmitatis ſingulare præſidium: auxilij tui ſuper infirmum famulum tuum [infirmam famulam tuam] oſtende virtutem; vt ope miſericordiæ tuæ adiutus [adiuta] Eccleſiæ tuæ incolumis

repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

PReces famuli tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, vt qui iustè pro peccatis suis affligitur, pro tui nominis gloria, misericorditer liberetur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

DEus, qui beatum Petrum à vinculis absolutum, illæsum abire fecisti; famuli tui [famulæ tuæ] *N.* in afflictione constituti [constitutæ] vincula absolue, & eum [eam] mente & corpore illæsum abire concede. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Surgens Exorcista ab oratione, asperget infirmum Aqua benedicta, & stans leget super eum sequentia.

Lectio libri Exodi. *Exod.* 7.

IN diebus illis: Ingressi Moyses & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut pręceperat Dñs: tulitq; Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrũ. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter, proie-

proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Tu autem Domine miserere nostri. *Resp.* Deo gratias.

Lectio sancti Euangelij secundùm Marcum. *Marc. vlt.*

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiã cordis; quia his, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euãgelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique: Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica verba tollantur & destruantur in *N.* omnia diabolica opera. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis.

Psal.11. DIsperdat Dominus vniuersa labia dolosa,& linguam magniloquam.

Psal. 2. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.

Psal. 67. Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Psal.57. Sicut cera quæ fluit,auferentur; supercecidit ignis,& non viderunt solem.

Psal.36. Quoniam brachia peccatorum conterentur,confirmat autem iustos Dominus.

Psal. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium ✠ suum vibrabit,arcum ✠ suum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit ✠ vasa mortis, sagittas ✠ suas ardentibus effecit.

Psal.23. Hic *N*. accipiet bene✠dictionem à Domino,& misericordiam à Deo salutari suo.

Psal.2. Dirumpamus vincula ✠ eorum, & proijciamus ✠ à nobis iugum ipsorum ✠.

Psal.134. Bene✠dicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

Possunt etiam recitari & alij Psalmi, vtpote Qui habitat in adiutorio, *&c. fol.*57. In te Domine speraui,*&c. fol.*68. *& alij.*

EXORCISMVS.

EXorcizo te *N*.corpore infirmum,sed per Spiritum sanctum ex sacro Baptismi Sacra-

cramento renatum, per Deum viuum ✠, per Deum verum ✠, per Deum sanctum ✠, per Deum qui te primùm de terra creauit, & posteà satanæ fraudibus perditum, pretioso Sanguine suo redemit, vt effugiat atq; discedat à te omnis phantasia, nequitia ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus, adiuratus per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Et tu maledicte satana, quisquis huic famulo Dei *N.* per quoscumque vel quomodocumque læsionis aliquid intulisti, recognosce sententiam tuam: da honorem & gloriam Deo viuo & vero: da honorem Iesu Christo filio eius Domino nostro: da honorẽ Spiritui sancto Paraclito, vt cum omnibus noxiis & maledictis operibus & conatibus tuis ab hoc seruo Dei, ad imaginem eius facto, & pretioso Sanguine Christi filij eius redempto, confestim abscedas, nec ampliùs ei vel rebus ipsius diutiùs nocere præsumas. Per eumdem Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde aspergat Aqua benedicta.

Alia formula exorcizandi maleficiatos quoſcũque.

SERVATIS *eis quæ ſuprà dicta ſunt, leget Exorciſta alta voce flexis genibus Litanias Sanctorum, ſuprà fol.*141. *vel beatiſſimæ Virginis, fol.* 126. *cum Collectis ſequentibus ibidem.*

Poſteà ſurgens ab oratione, aſperget infirmum Aqua benedicta, & leget ſequentia ſtans verſus illum.

Lectio libri Sapientiæ. *Eccli.*36.

MIſerere noſtri Deus omniũ, & reſpice nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum; & immitte timorem tuum ſuper gentes, quæ non exquiſierunt te, vt cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu, & enarrent magnalia tua. Tu autem Domine miſerere nobis. *Reſp.* Deo gratias.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem. *Ioan.* 1.

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet,

lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. ET VERBVM CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre,) plenum gratiæ & veritatis. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica verba tollantur & destruantur in *N.* omnia diabolica opera. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis, ad consolationem afflicti.

EXspecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te vt hereditate capias terram; cùm perierint peccatores videbis. *Psal. 36.*

Spera in Deo, quoniam adhuc confite- *Psal. 42.*
bor

bor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Pſal. 26. Exſpecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Pſal. 54. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

Pſal. 90. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.

Pſal. 120. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Pſal. 90. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.

Pſal. 120. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.

Pſal. 33. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his ✠ non conteretur.

Oremus.

SAna me Domine, & ſanabor; ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu

Ierem. 17. es. Non ſis mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me perſequuntur, & non cõfundar ego; paueant illi, & non paueam ego; induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione con-

tere

tere eos. Per Dominum nostrum, *&c.*
Resp. Amen. Oremus.

DEus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clauibus regni cælestis, ligandi atque soluendi pontificium tradidisti: concede, vt intercessionis eius auxilio, à peccatorum nexibus, & diaboli vinculis hic famulus tuus [hæc famula tua] *N.* liberetur. Per eum qui venturus est iudicare sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

ADiuro vos ✠, dæmones infernales, spiritus maligni, qui ad inferendum malum huic creaturæ Dei *N.* fabricastis & conseruatis maleficium in ea, per Deum Patrem omnipotentem ✠, & Filium eius vnicum Dominum nostrum Iesum Christum ✠, & per Spiritum sanctum ✠ paraclitum ab vtroque procedentem, & vobis præcipio, vt omnibus incantationibus, fascinationibus, signaturis, ligaturis, statim sublatis, ab hac creatura Dei, & ab omnibus rebus eius recedatis, atque liberam ab omni maleficio, incantatione, & ligatura relinquatis, per sacratissimum, tremendum, honorandum & glorificandum nomen IESV, & per virtutem eius, qui est Alpha & Omega, principium & finis, qui ambulat super pēnas ventorum, qui omnia ex nihilo sua omnipotenti

tenti virtute creauit, per quem omnes Sancti & electi Dei beatificantur, ante cuius faciem ignis præcedet, & inflammabit vos inimicos suos. Adiuro vos ✠ maligni dæmones, inimici triumphatoris Iesu Christi Nazareni, vt cessetis hanc creaturam Dei *N.* lædere, & vestris maleficiis vexare, per potentiam illius qui vos rebelles à consortio sãctorum Angelorum exclusos ad sedes tartareas damnauit igne & sulphure cruciandos, vt protinus destruatis & ad nihilum redigatis omnia maleficia, incãtationes, fascinationes, ligaturas, & omnes vestras noxias pactiones, quibus hanc Dei creaturam infestare & affligere præsumpsistis, eamque liberam & sanam, & sine vlla læsione animæ & corporis in posterum permittatis, vt mẽte & corpore pariter expedita, liberam seruitutem suo exhibeat Creatori, Qui viuit & regnat, *&c.*

Asperget Aqua benedicta infirmum.

Alius EXORCISMVS.

ADiuro vos ✠ iterùm dæmones, per Deum omnipotentem, qui diuisit lucem à tenebris, stabiliens cælos, & eis mensuras ponens, vt statim sine mora amoueatis ab hac creatura Dei omnia nocumenta vestra, & ipsam sine læsione relinquatis. Adiuro vos ✠ per magnum nomen Domi-

ni

nilIesv Christi filij eius, ne ampliùs appropinquetis huic creaturæ, ad ei inferenda, vel in ea conseruanda aliqua maleficia, & à vexatione vestra libera relinquatis omnia quæ ad illam pertinent. Adiuro vos ✠ in virtute Spiritus sancti paracliti, vt si quid in signum positum est ad huius creaturæ afflictionem, illud statim amoueatis, & ✠ nullã vsurpetis audaciam obsequendi maleficis hominibus ad nocendum huic creaturæ, & omnia quæ posuistis ad lædendum valetudini eius, statim tollatis & remoueatis, sine aliqua læsione animæ & corporis eius, & illa portetis ad loca arida, sterilia, & inhabitabilia. Et sicut per beatos Apostolos Dei Petrum & Paulum dissolutæ & ad nihilum redactæ fuerunt incantationes factæ per Simonem Magum, ita auctoritate Dei omnipotentis dissoluantur omnes sortilegæ artes, prestigia, & incantationes inuentæ & fabricatæ ad lædendum & nocendum huic creaturæ. Similiter adiuro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, qui descendens ad inferos, deuicta potentia inferni, animas sãctorum Patrum inde extractas secum ad cælos triumphator inuexit, vt remoto omni dolo & obstinatione, destruatis & tollatis omnem malignam fascinationem ab hac creatura Dei, omniaque nociua eius corpori ingesta edu-

educatis per illam viam quæ ſit magis libera & expedita abſque læſione corporis & ſanitatis eius. In virtute eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Alius EXORCISMVS.

Teneat Exorciſta manus ſuper vel verſus infirmum.

EXtinguatur in te *N.* omnis virtus diabolica per impoſitionem manuum mearum, & per inuocationem omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorũ, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum, & omnium ſimul Sanctorum, in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti. Amen.

Proſequetur:

APeriat tibi Dominus Deus noſter ianuam miſericordiæ ſuæ, & liberet te à malis tuis & omnibus inſidiis & machinationibus inimicorum tuorum, tam malorũ ſpirituum quàm miniſtrorum eius, per interceſſionem beatiſſimæ Mariæ matris & virginis, & per ſãctum Ioannem Baptiſtam, per Apoſtolos ſuos Petrum & Paulum, & alios Apoſtolos, per omnes ſanctos Innocẽtes, Martyres, & Confeſſores atque Doctores, per omnes ſanctos Sacerdotes & Leuitas,

tas, Monachos & Eremitas, per omnes sanctas Virgines, Viduas, & Continentes, & per totam cælestem curiam. Et sicut liberauit Dñs Susannam de falso crimine, Dauid de manu Goliæ, Iudith & populum suum de manu Holofernis; sic te liberare dignetur ab omni potestate diaboli & ministrorum eius, & disrũpere omnia vincula maleficiorum, incantationum, & omne opus diaboli. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Poterit etiam addi hæc sequens Oratio S. Basilij.

DEus cælorum, Deus luminum, Deus Angelorum, qui tuæ subsunt fortitudini; Deus Archangelorum, qui tuo subijciuntur imperio; Deus gloriosarum Dominationum, Deus Sanctorum, & Pater Domini nostri Iesu Christi: qui animas morte vinctas soluisti, & hominem tenebris immersum per vnigenitum Filium tuum illuminasti; qui pepulisti omnes dolores nostros, & omne onus abiecisti; qui omnes assultus inimici à nobis amoliris: Fili & Verbum Dei, qui immortales nos fecisti morte tua, & glorificasti nos gloria tua; qui largitus es nobis per resurrectionem tuam vt ex humana in diuinam transeamus naturam; qui omnia peccatorum nostrorum vincula per crucem portasti; qui lapsum & vulnera

nostra assumpsisti & sanasti Domine, & viam ad cælos nobis strauisti, & corruptionem in incorruptione mutasti: exaudi me cum desiderio & metu clamantem ad te; cuius timore montes liquescunt, cum firmamento, quod sub cælo est; cuius virtute, muta elementorum ingenia horrent, custodientes suos limites; per quem ignis ille vltionis non excedit fines sibi positos, sed gemens expectat nutum tuum; propter quam omnis creatura, ceu parturiens cruciatur, gemens gemitibus inenarrabilibus iussa manere ad opportuna tempora; quam fugit omnis aduersaria potestas, & à quo hostilis exercitus domitus est, & diabolus concidit, serpens conculcatus est, & draco occisus est, per quem gentes tibi confitentes, illuminatæ & confortatæ sunt in te Domine, per quem vita manifestata est, spes sola data est, fides roborata est, Euangelium annũtiatum est, per quem homo è terra denuò conditus est, in te collocata fide. Quis enim tui similis Deus omnipotens? Quare oramus te Deus patrum nostrorum & Domine misericordiæ, qui es ante sæcula omniq; substantia superior, respice hunc tuum famulum te adeuntem in sancto tuo nomine, & dilecti Filij tui Iesu Christi, & sancti omnipotentis & viuifici Spiritus tui; depelle ab anima ipsius

ſius omnem languorem, omnem infidelitatem, omnem ſpiritum immundum, vellicatorem, ſubterraneum, igneum, olidum, concupiſcentiæ plenum, auri argentiq; auidum, ſuperbum, meretricium, tenebroſum, informem, impudentē. Ita Deus abige ab hoc famulo tuo omnem vim diaboli, omne incātamētum, omne veneficium, idololatriam, diuinationē ex aſtris, Grecè aſtromantiam, aſtrologiam, necromātiam, augurium, molliciem, amorem, auaritiam, temulentiam, ſcortationem, adulterium, laſciuiam, impudentiam, iram, contentionem, inconſtantiam, & omnem ſuſpicionem malam. Etiam Domine Deus inſpira illi ſpiritum tuum pacificum, vt eo munitus referat fructum fidei, virtutis, ſapientiæ, puritatis, continentię, charitatis, benignitatis, ſpei, manſuetudinis, longanimitatis, patientiæ, ſobrietatis & intellectus, quoniam te inuocat ſeruus tuus, in nomine Ieſu Chriſti credens in conſubſtantialem Trinitatem vnà teſtificantibus Angelis, Archangelis, glorioſis Dominationibus, & omni cæleſti exercitu: & cum hoc cuſtodi & corda noſtra, quia potens es Domine, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. *Reſp.* Amen.

Deinde aſpergat Aqua benedicta, & cum benedictione dimittat.

Possunt prædicti Exorcismi sæpiùs repeti, & inde sumi quos malit Exorcista, & ad singulos asperget infirmos Aqua benedicta. Continuabit autem legere super infirmum diuersis vicibus bis vel ter in hebdomada, vel diebus alternis, quoties & quamdiu ipsi prudenti Exorcistæ videbitur.

Poterunt prædicti Exorcismi seruire non tantùm pro energumenis, sed etiam pro aliis maleficiatis & ex maleficio infirmis.

Si quis prolixiores desiderat, adiunget his Preces positas infrà pro variis ægritudinibus, & aliis malis, mutatis mutandis.

Remedia generalia, de quibus in Instructionibus generalibus, vtpote de Reliquiis, Agnis Dei, &c. ferendis, item de exercitiis piorum operum ad placandum Deum, & similibus Ecclesiasticis remediis, de quibus in singulis ferè titulis infrà particulariùs agitur, etiam his infirmis applicabit Exorcista, & de illis piam dabit instructionem.

Si verò afflicto non liberato Exorcista concludere voluerit, vti poterit Protestatione superiùs posita fol. 180. *omisso Exorcismo.*

Post liberationem aget Exorcista gratias Deo pro beneficiis obtentis, sicut præscriptum est suprà, fol. 188. *pro liberatione obsessi, cum admonitione salutari ad liberatum, prout ibidem.*

Reme-

Remedia contra febres, pestem, & alias infirmitates naturales.

QVONIAM *mundus scatet varijs remediis superstitiosis & illicitis contra febres & alios morbos naturales, quibus ita passim homines fidunt, vt non solùm negligant Medicos & medicinas naturales, sed etiam recursum ad Deum per preces & alia pia opera. Proinde curam habentes animarum aliiq; Exorcistæ, studebunt ab huiusmodi subditos suos aut ad curam suam spectantes auertere; docebuntq; non solùm illa reiicienda quæ per inscriptos characteres & nomina barbara, vel alia huiusmodi, apertum superstitionis indicium præ se ferunt; sed & alia in quibus occultè magis, & ob id periculosiùs immiscentur vanæ cærimoniæ & ritus ab Ecclesiæ consuetudine alieni, quantumuis multi per illa videantur iuuari & sanari, cùm in hisce rebus non tam ab experientia sumendum indicium, quàm à regulis fidei, & Ecclesiæ doctrina & traditione. Monebunt illos vt vtantur approbatis ab Ecclesia remediis spiritualibus, qualia sunt, vitæ & morum emendatio, confessio Sacramentalis, sacra Communio, Missæ sacrificij auditio, preces feruentes & continuæ, ieiunia, eleemosynæ, & alia pia opera. Huiusmodi infirmi reuerenter secum deferre possunt particulas sanctarum Reliquiarum, Agnos Dei, Euangelium sancti Ioannis, & similia sacræ Scripturæ testimonia;*

modò non ponant spem in ipsis verbis, in modo scriptionis, numero crucium, figura, aut similibus nihil ad rem pertinentibus, sed effectum exspectet supernaturali Dei beneficio. Similis est ratio de pane, sale, & aliis rebus iuxta morem Ecclesiæ benedictis, quibus vti possunt, confidentes quòd Deus exaudiet preces Ecclesiæ fusas pro eis qui rebus illis vtuntur. Videantur ea quæ de prædictis latiùs habentur in Instructione.

Quando Sacerdos requiretur vt pro huiusmodi infirmis more Ecclesiæ oret, indutus Alba vel superpelliceo & stola, ante omnia asperget infirmum Aqua benedicta: deinde clara voce dicet flexis genibus:

Vers. Adiutorium ✠ nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Posteà Litanias omnium Sanctorum, prout suprà habentur, fol.* 141. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Inef-

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende; vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium; exaudi nos pro famulo tuo *N.* infirmo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium: vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ singulare pręsidium: auxilij tui super infirmum famulum tuum *N.* ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Surgens ab oratione, asperget infirmum Aqua benedicta, & leget super eum sequentia.

Lectio Epistolæ beati Iacobi Apostoli.

Iacobi 5.

INfirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vn-

gentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra: & orate pro inuicem vt ſaluemini: multùm enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Tu autem Domine miſerere nobis. *Reſp.* Deo gratias.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Lucæ* 4.

IN illo tempore: Surgens autem Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam, imperauit febri, & dimiſit illam. Et continuò ſurgens, miniſtrabat illis. *Reſp.* Laus tibi Chriſte.

Per Euangelica dicta reddat tibi Deus ſanitatem mentis & corporis. *Reſp.* Amen.

Ex Pſalmis.

Pſal. 102. DOmine, non ſecũdùm peccata noſtra, quæ fecimus nos: neq; ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

Pſal. 78. Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis.

Pſal 6. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam contur-

turbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valdè.

Miſerere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. *Pſal.30.*

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa mea conturbata ſunt.

In Deo ſperauit cor meum, & adiutus ſum: & reſloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. *Pſal.27.*

Miſit Dominus verbum ſuum, & ſanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. *Pſal.106.*

Poſſunt hæc ſæpiùs reiterari.

Si plures & longiores quis deſideret Exorciſmos, ſumat ex præcedentibus, eoſq; accommodet intentioni ſuæ.

Remedia ſpiritualia contra philtra amatoria.

CVM vſus philtrorum ſit diabolicum inuentum, cum quo etiam ordinariè concurrunt maleficia: & experientia doceat, huiuſmodi veneficio infectos potiùs iuuari remediis ſpiritualibus, quàm naturalibus medicinis (licet hæ negligi non debeant;) operæ pretium erit hîc adiungere media licita & ab

Ecclesia approbata, quibus curam animarum gerentes poterunt huiusmodi afflictis succurrere, & consolationem aliquam adferre, & voluntates eorum præseruare ab illicitis amoribus, in quos reliqua corporis harmonia per prædicta venena inclinat & excitatur: tum etiam corpus præseruetur Dei auxilio & fauore à variis morbis & languoribus, & ab ipsa morte.

Curabit itaque curam animarum gerens, vt huiusmodi afflicto vel afflictæ tempestiuè applicentur remedia vtriusq; generis tam naturalia quàm spiritualia. Naturalia, vt per medicinas refrigerantes & imminuentes ardorem libidinis, & per expellentes, sumptum venenum tollant vel imminuant. Spiritualia, quæ carnem macerent, & doment: qualia etiam sunt vitatio conspectus rei amatæ, occupatio mentis in curis grauioribus & piis, lectio bonorum librorum, cogitatio mortis, iudicij, & inferni, contemplatio vilitatis corporis humani, quid fuerit ante animationem; quid nunc sit, sublata cutis tenuissimæ pellicula; quid, cùm anima recedet, futurum: meditatio denique passionis & mortis Domini nostri, & alia quæ mentem ægrotantis auertere à nefario amore possint, & inducere sanctum feruorem erga Deum.

Suadebit ei etiam vsum frequentem Sacramentorum, Confessionis, & Sacramenti Altaris, aliáque pia opera. Applicabit illi etiam Preces & Exorcismos, maximè huic malo accomodatos, quales sunt qui suprà habentur contra maleficia quibus afflictatur sanitas corporum humanorum

fol.

fol.195. Item qui habentur contra varias ægritudines naturales, fol. 213. vel qui infrà ponuntur contra succubos & incubos, fol. 230. Adiungãtur prædictis Exorcismis sequẽtes Orationes Ecclesiæ.

Oremus.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum filiũ tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdẽ Spiritus sancti. *Resp.* Amẽ.

Oremus.

DOmine adiutor & protector noster, adiuua nos: & refloreat cor & caro nostra vigore pudicitiæ, & castimoniæ nouitate: & ab omnibus quæsumus tentationibus emũdemur. Per Dñm nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

DEus qui iustificas impium, & non vis mortem peccatoris: maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt famulum tuum de tua misericordia confidentem, cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues: vt tibi iugiter famuletur, & nullis tentationibus à te separetur. Per Dominum, *&c.* *Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens & mitissime Deus, respice propitius ad preces nostras, & libera corda

corda nostra de malarum tentationibus cogitationum: vt sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti, *&c. Resp.* Amen.

Oremus.

DEus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quæsumus, corda nostra gratiæ tuæ splẽdore: vt digna ac placita maiestati tuæ cogitare semper, & te sincerè diligere valeamus. Per Dominum, *&c. Resp.* Amen.

Remedia spiritualia pro impeditis per maleficia, ope dæmonum, in matrimonio.

QVIA *maleficium ligaturæ, vt vocãt, & pleraq; alia, quæ ordinariè hominibus contingunt, & eueniunt ex defectu fidei, spei, & charitatis in Deum, Deo sic iusto iudicio hominum incredulitatem & diffidentiam puniente, teste S. Leone Papa Serm. 19. de Passione; hinc Pastores seriò monebunt coniungendos & coniugatos nihil esse timendum ab huiusmodi ligaturis & maleficiis, sed firma fide credendum, Dominum Iesum Christum assistere Sacramento atque instituto suo; præcipuè cùm recta fide, bona intentione, & pura conscientia susci-*

piun-

piuntur, vel qui susceperint vtantur. Vnde cauebunt Pastores eorumq; substituti, ne ob timorem innodationis vel ligaminis alicuius, matrimonia solemnizent modo aliquo ab Ordinario loci non approbato, ne ipsi, qui alios ab huiusmodi vano timore, verbo & exemplo retrahere debent, ipsis mali & damnabilis timoris exemplum præbere videantur. Neque tamen per se est illicitum (ideóque permitti interdum poterit) quòd quidam, ne maleficio aliquo impediantur ab opere coniugali, Matrimonium contrahere desiderent ignorantibus illis à quibus maleficium metuunt, adeoq; in parte templi secretiori.

Coniugibus, qui Deo permittente huiusmodi maleficio sunt innodati, suadebit Sacerdos, vt peracta peccatorum suorum integra & dolorosa confessione, sacratissimum Christi Corpus sæpiùs reuerenter sumant, & exemplo Tobiæ & Saræ aliquot diebus à copula abstinentes, ieiunio & precibus, aliisq; piis operibus & eleemosynis se præparent. Interim etiam se præsentent Sacerdoti, qui illos aliquoties exorcizabit, & precibus Ecclesiæ benedicet, Deoq; commendabit in hunc, qui sequitur, modum.

Asperget coniuges Aqua benedicta, & dicet alta voce:

Vers. Adiutorium ✠ nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Posteà Litanias vt suprà, fol.* 141. *Vers.* Saluos fac seruum tuum, & ancillam tuam.

Resp.

Resp. Deus meus sperantes in te. *Vers.* Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eos. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. *Vers.* Esto eis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos omniporens & misericors Deus, vt quod nostro ministratur officio, tua benedictione protinus impleatur. Per Dominum nostrum, *&c.* *Resp.* Amen.

Oremus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: vt quod te auctore iunctum est, te auxiliante seruetur. Per Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

DEus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis vniuersitatis exordiis, hominem ad imaginẽ Dei facto, ideò inseparabile mulieris adiutorium condidisti, vt femineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex vno placuisset institui, numquam licere disiungi. Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem

lem copulam consecrasti, vt Christi & Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiam: respice propitius super hos famulos tuos, qui maritali iuncti consortio, tua se expetunt protectione muniri: sit in illis iugum dilectionis & pacis: nihil in illis ex actibus suis ille auctor preuaricationis vsurpet: sint fecundi in sobole, & videant filios filiorum suorum, vsque ad tertiam & quartam generationem: & ad optatam perueniant senectutem, atque ad cælestia regna perueniant. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit. *Resp.* Amen. ✝

Surgens Sacerdos ob oratione, asperget Coniugatos iterùm Aqua benedicta, & leget super illos quæ sequuntur.

Lectio libri Tobiæ. *Tob.* 8.

TVnc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur; tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes quæ igno-

ignorant Deum. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis. Dixitque Tobias: Et nunc Domine tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sęcula sæculorum. Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti. Tu autem Domine, miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Ioannem. *Ioan.* 2.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tule-

tulerunt. Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam; vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tũc id quod deterius eſt: tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. *Reſp.* Laus tibi Chriſte.

Pſalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Vxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum: in circuitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dñs ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſrael. Gloria. Oremus. ℣

DOmine Ieſu Chriſte, beatiſſimæ Virginis Mariæ Ioſeph deſponſatæ filius, qui in Paradiſo terreſtri Matrimonium inſti-

tuisti, in officium, & conseruationem, & multiplicationem humani generis, & ipsum Matrimonium mirabiliter honorasti in aduentu tuo, & primordiis miraculorum tuorum: dignare hos quos matrimonialiter coniunxisti per merita & preces beatissimæ Virginis Mariæ matris tuæ, & omnium Sanctorum & Sanctarum tuarum, bene✠dicere, ac plenè liberare ab omni ligamento, fascinatione, & maleficio satanæ, & dare fecunditatem & gratiam vt liberè possint vti matrimonio suo ad generandas & educandas proles ad laudem & gloriam tuam: In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. *Resp.* Amen. Oremus.

DOmine Iesu Christe, fili Dei viui, qui vterum beatissimę Virginis Mariæ mirabiliter fecundasti, vt de Spiritu sancto conciperet, portaret, pareret ac nutriret te Deum ac Dominum Saluatorem nostrum: suppliciter inuocamus clementiam tuam, vt his famulis tuis *N.* & *N.* fecunditatem donare digneris; vt generare ac nutrire valeant proles in vitam æternam, Amen. In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui primos nostros parentes bona societate copulasti: bene✠dic, & sanctifica ✠ hos cõiuges,

iuges, & ſemina in eis ſemen vitæ ęternæ: corda eorum tui ſancti Spiritus munda infuſione: Angelo tuo ſanante eos à maligna dæmonum infeſtatione libera, & cuſtodi, & omnes mentis & corporis aduerſitates ab eis repelle: vt munimine tuo protecti, & te donante, deuotè laudent nomen ſanctum tuum, quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et aſpergens illos iterùm Aqua benedicta, exorcizabit illos ſequenti Exorciſmo.

EXORCISMVS.

EXorcizo vos, impuri dæmones, humani generis & diuinæ diſpoſitionis inimici, in nomine indiuiduæ Trinitatis, Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti, cuius potentia vniuerſa creata ſunt, cuius prouidentia omnia in ſuo ordine conſeruantur; vt quidquid aduerſus hos coniuges moliti eſtis ad impediendam filiorum generationem, iuxta modum à Creatore ordinatum, eiuſdem Dei noſtri poteſtate coacti amoueatis.

Adiuro vos per eum qui de Virgine naſciturus, vt ſua quoque natiuitate coniugalem ſtatum honoraret, eam potiſſimùm elegit matrem, quæ iam erat deſponſata viro; vt diſſipatis maleficis veſtris pactionibus, aut maleficij ſignis, quidquid his coniugibus nocumenti aut impedimenti intuliſtis, con-

tinuò auferatis, liberosque ab omni vestra fascinatione relinquatis.

Adiuro vos per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venit in hunc mundum vt dissoluat opera diaboli, & chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci; vt quidquid incantatione, aut ligatura, aut quocumque maleficio secundùm damnabiles artes vestras effectum, quo impediantur coniuges isti sanctum Matrimonij statum amplexi, ne ea quæ status sui sunt liberè valeant exercere, id omne dissoluatis & amoueatis, & nullum propter illa nocumẽtum aut impedimentum deinceps adferre præsumatis. Inuocamus enim contra vos terribile nomen Domini nostri IESV Christi, vt omnes pactiones vestras rumpere compellamini, neque maleficis, quos vestra quasi fidelitate decipitis, fidem seruare, aut quod pacti estis perficere vlteriùs permittamini, cogente vos Cruce Christi, cuius signo hos Christi seruos consignamus: vrgente vos eiusdem Domini nostri eminentissima potestate, qua & ipse spiritus nequam eijciebat verbo, & discipulis suis potestatem dedit calcandi super serpentes & scorpiones & omnem virtutem inimici. In eius ergo virtute præcipio vobis, vt ordinem à Deo ad

hu-

humani generis propagationem institutum perturbare desistatis; vt inuidia vestra, qua & Deo gloriam, & humano generi salutem æternam auferre nitimini, vano conatu tabescens, vobis tantummodò cruciandis seruiat; hominum verò generatione secundùm honorabile coniugium torumque immaculatum procedente, electorum numerus impleatur, aspirante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℣

Aspergat illum vel illos Aqua benedicta, & in pace dimittat.

Quòd si occulto Dei iudicio, vel aliqua coniugum culpa maleficium non tollatur, non desistent coniuges orationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisq; piis operibus Deum propitium sibi reddere, Missam quotidie, si possunt, audiant, & pro se etiam celebrari curabunt, frequenter confitebuntur peccata sua, & sacram Communionem reuerenter sument: peregrinationes piè suscipient ad loca à Deo suis beneficiis & miraculis visitata: Reliquias, Agnos Dei, & huiusmodi sacra religiosè secum deferent: numquam ibunt cubitum quin se feruẽtibus precibus Deo, B. Mariæ, Angelo Custodi, aliisq; Sanctis commendent, Aqua benedicta se & lectum aspergent, palmis benedictis thalamum ornabunt: abstinebunt ab omnibus illicitis remediis, contactibus, &c. sed purè & castè ex solius prolis desiderio, Matrimonio vti cupient. Exor-

cismos & Preces superiùs positas sæpiùs reiterari curabunt; quibus poterit Sacerdos, si ei visum fuerit, alias adiungere ex suprà positis pro infirmis. Cauebit autem Sacerdos diligenter, ne permittat illum errorem & rei sacræ abusum, qui hodie in nonnullis locis vigere dicitur, quo aliqui tali maleficio vexatis succurri posse putant, si vir & mulier priori Matrimonio, legitimè & in facie Ecclesiæ contracto, mutuo consensu renuntient, & nouum coram Sacerdote contrahant. Est enim hoc diabolicum inuentum superstitionis inducendæ causa, vel vt res sacras hominibus ludibrio exponat, & Sacramento Christi grauem irroget iniuriam, cùm dicat Christus Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet. *Denique, huiusmodi afflicti consulent etiã Medicos, si fortè impedimentum ipsorum prouenerit à mala corporum complexione, & humorum peccantium abundantia. Quæ medicinæ etiam possunt indirectè prodesse huic malo, etiam quando per diabolum introductum est.*

Remedia spiritualia contra Succubos & Incubos.

DÆMONES *incubos & succubos hominibus infestos, ex D. Augustino libro 15. de Ciuit. cap. 23. & aliis Patribus cognoscimus: verũtamen non facilè in similibus omnibus fides adhibenda, præcipuè femineo sexui, mirabilium formarum in imagi-*

natio-

natione susceptiuo. Proinde Exorcista, vel curam animarum habens, examinabit hæc prudẽter cum Medicis & Theologis peritioribus. Si constet probabiliter aliquem dicto modo vexari contra voluntatem suam, adhibebit remedia & Exorcismos suprà in tertia Parte, contra maleficia quibus homines solent in propriis corporibus affligi, positos. Confiteatur sacramentaliter frequenter summa qua poterit animi contritione, præmuniat se sacra Communione, in precibus sit assiduus: inter omnes preces sæpiùs legat Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, his enim multos ab hac vexatione liberatos constat variis exemplis. Alia denique adhibeat, quæ superiùs præscripta sunt contra ligaturas, philtra, &c.

Volunt aliqui loci mutationem contra hoc malum aliquid posse: potiùs dormitorium & lectus afflicti sæpè benedicenda ordinariis Ecclesiæ benedictionibus. Videat etiã prudens Exorcista, vtrùm hæc afflictio non infligatur à Deo aliquando feminis, ob nimiam curiositatem in vestibus, ornatu crinium, & similibus, quibus, non contentæ naturali sua pulchritudine, variis fucis & mediis student allicere viros in sui amorem. Quo fit, Deo permittente, vt fiant ludibrio dæmonibus, quæ nimiùm in sua gloriantur pulchritudine. Tales adducendæ ad compunctionem peccatorum suorum, & emendationem vitæ qua in posterum ab huiusmodi laqueis abstineant, & se componant ad modestiam, humilitatem, & verecundiam decentem.

Præter prædicta possunt contra hanc vexationem, quæ valdè abominabilis est, etiam applicari Exorcismi secundæ Partis huius Manualis, cùm sit quædam species obsessionis, vel ei valdè affinis infestatio.

Modus exorcizandi circa quæuis animalia per maleficia & veneficia afflicta.

IN PRIMIS *attendendum an fortè ex caussis naturalibus animalia ægrotent, vtpote ex deuoratis araneis sese pabulo ingerentibus, aut aliorum venenatorum animalculorum morsu, ex aëre præ stabulorum immunditia vitiato, à bufonibus aliisve serpentibus, qui sæpè dum lac exugunt, vbera lædunt.*

In iuuandis brutis animalibus maleficiatis, procedet Exorcista simili ferè modo vt antè: nempe exhortando in primis patrem & matrem familias, omnesq; domesticos ad seriam pœnitentiam & vitæ emendationem: vt cum vera cordis humilitate & spiritus contritione ad Deum conuersi, agnoscant damna hæc ipsis immitti à bono iustóque Deo propter peccata, inter quæ numeranda sunt iuramenta & exsecrationes animalium, ad correctionem & probationem ipsorum.

Quocircà peccatorum suorum per bonam & salu-

ſalutarem coram Sacerdote Confeßionem, à Dei miſericordia veniam implorantes, meliora ſeriò proponant: & ſic in ſtatu gratiæ conſtituti, in Dei clementia fiduciam omnem collocent; parati ſe diuinæ voluntati, quidquid ei placuerit, conformare.

A ſuperſtitionibus aliiſq; diaboli & miniſtrorum eius hominum impoſtorum fraudibus cauebunt, ſcientes ab Eccleſia vetari omnia illa quæ non ſunt inſtituta à Deo, vel ab Eccleſia, ad conſequendos effectus ſupernaturales. Vnde in colligendis herbis pro alimento beſtiarum nullas adhibebunt circumſtantias vanas & ad rem non facientes, ſed legent Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, vel Symbolum fidei, exſpectantes ſubſidium à Dei miſericordia, qua illos exaudiet tempore ſuo. Et quia Eccleſia pia & ſollicita mater etiam Exorciſmis & Adiurationibus, ſecundùm poteſtatem ſibi à Deo factam, diaboli conatus & inſidias repellere ſtudet, & creaturas humanis neceßitatibus deſtinatas non modò in naturalem, ſed etiam in ſalutarem vſum per Orationes & Benedictiones ſibi iterùm aſſerat & benedicat, prout videre licet in Benedictione ſalis, aquæ, & ſimilium rerum quæ in ſacratiorẽ vſum ab Eccleſia aſſumuntur, iuxta doctrinam Apoſtoli dicentis, omnem creaturam bonam eſſe, & ſanctificari per verbum Dei & orationem; licet etiam hanc ſanctificationem extendere ad pecora & eorum pabula, quæ quidem quod ad præſens attinet, in hoc poſita eſt, vt ad conuenientem & ſaluta-

rem vsum repurgentur à diaboli fraudibus & nocumentis, ne (quod Scriptura ait) creaturæ quæ ad commoditatem homini subseruiunt, per insipientiam fiant decipulæ & captionis laquei.

Formulæ Exorcismorum & Benedictionum ex Pontificali & Missali in fine huius Manualis apponuntur: & quamquam etiam aliæ à temerariis excogitari possint, & sint excogitatæ; nullus tamen Sacerdotum & Exorcistarum illis vti præsumat, sed illas retineat quæ ab Ecclesia in vsum receptæ sunt, & à veteribus vsitatæ: non tantùm vt tutiores simus à superstitionibus & erroribus aliis; sed etiam quia efficacior est oratio nostra, quando cum Ecclesiæ Precibus viuaciter coniungitur. Ad quam rem confert etiam, ipsa verba ab Ecclesia vsitata, in quantum fieri potest, retinere.

Quæ iam generaliter dicta sunt, ad particulares vsus facilè applicari possunt, pro loco & tempore, & rerum occurrentium necessitate. Sed (vt diximus) præcipua cura debet esse de apparatu, hoc est, vt per veram pœnitentiam ad Deum ex corde conuertantur, qui in afflictione remedia quærunt. Hoc autem dicitur potissimùm propter formularios illos, qui diuersas agendi formulas conquirunt; & si per vnam non succedit, subinde aliam atque aliam adhibent: tamquam si in forma agendi principalis virtus collocanda esset, cùm multò maior sollicitudo esse debeat de pietate & præparatione ad orandum, quàm de forma agẽdi.

Absque scrupulo in omnibus (modò nihil admisceant

misceant superstitionis) vti possunt Aqua benedicta, sale & pane benedicto, ramos palmarum ab Ecclesia benedictos suspendant in domibus & stabulis suis, cereum benedictum in die Purificationis accendant, & in locis infestatis collocent, & similia approbata remedia adhibeant, quorum effectus & vis à Deo est, & expectatur per Preces Ecclesiæ fusas in hunc finem.

Hac breuiter instructione domesticis data, Exorcista ibit ad stabulum & locum in quo sunt animalia afflicta, dispicietq; ne forìè sint aliqua maleficij signa sub limine abscondita, aut terræ infossa, eaq; auferri curabit. Quæ cautio nonnullis qui totius stabuli terram ad aliquam altitudinem effoderunt, optimè cessit.

Deinde omnibus domesticis ad orationem inuitatis, ipsum stabulum & animalia Aqua benedicta asperget. Posteà leget clara voce flexis genibus, si commodè possit Litanias Sanctorum, prout habentur suprà fol. 141. *quibus subiunget sequentes Orationes.*

Oremus.

DEus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus solatia subrogasti: supplices te rogamus, vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire. Per Dominum nostrum, *&c.*

Oremus.

Resp. Amen.

TRibulationem nostram, quæsumus Domine, propitius respice: & iram tuæ indi-

indignationis, quam iustè meremur, auerte. Per Dominum, *&c. Resp.* Amen. Oremus.

AVerte, quæsumus Domine, à fidelibus tuis cunctos miseratus errores, & sæuientium morborum, qui grassantur in animalia, depelle perniciem: vt quos suo merito flagellas deuios, foueas tua miseratione correctos. Per Dominum, *&c. Resp.* Amen.

Surgens Exorcista ab oratione asperget iterùm animalia & locum totum cum astantibus Aqua benedicta, & versus animalia maleficiata leget sequentia.

Lectio Ieremiæ Prophetæ. *Ier.* 14.

SI iniquitates nostræ contenderint contra nos: Domine fac propter nomen tuum: quoniam multæ sunt auersiones nostræ: tibi peccauimus. Exspectatio Israel, saluator eius in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos Domine Deus noster. Tu autem Domine miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Marcum. *Marc.* 11.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare; & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quod-

cum-

cumque dixerit, fiat: fiet ei. Propterea dico vobis: omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt & Pater vester qui in cælis est dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta tollantur & euertantur omnia diabolica facta.

Vel si malit, recitabit initium Euangelij S. Ioannis, In principio, *&c. fol.* 202. *quod contra omnia maleficia & infirmitates rectè potest adhiberi.*

Psalmus 53.

DEus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quo-

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, & Filio. *Psalmus 56.*

MIserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.

Misit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus.

Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cælos Deus: & in omni terra gloria tua.

Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: &

psal-

mum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua: & vſque ad nubes veritas tua.

Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua.

Gloria Patri.

Pſalmus 7.

DOmine Deus meus, in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat vt leo animam meam: dum non eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat.

Domine Deus meus, ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti: & ſynagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.

Iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam:

meam: & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum: ſcrutans corda & renes Deus.

Iuſtum adiutorium meum à Domino: qui ſaluos facit rectos corde.

Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens: numquid iraſcitur per ſingulos dies?

Niſi conuerſi fueritis, gladiũ ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Ecce parturiit iniuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini altiſſimi. Gloria Patri.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, dæmon maledicte, immunde ac maligne ſpiritus, quicumque animalia iſta Dei viui & veri creaturas affligere aut vexare audes; & adiuro te per eumdem Deum viuum ✠, per Deum verum ✠, per Deum ſanctum ✠ Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vt exeas & recedas à loco iſto,

co isto, nec vmquam huc reuerti præsumas, neque eodem loco vel alibi agentibus hominibus aut iumentis damnum vel pauorem immittas, aut quodcumq; maleficium in detrimentum vitæ illorum, vel sanitatis aut vtilitatis inferas, per eum qui te in patibulo crucis vicit & superauit, arma in quibus confidebas abstulit, spoliaq; tua distribuit, ac potestatem tuam in electorum suorum salutem & consolationem ligauit: qui & venturus est statuto tempore iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Alius EXORCISMVS.

ADiuro vos, ô maligni spiritus, per creatorem cæli & terræ, per incarnationem Domini nostri Iesu Christi, eiusq; circumcisionem, apparitionem, baptismum, ieiunium, & per Crucem eius, per clauos, lanceam, latus, manus & pedes Christi perforatos, per passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem, & Spiritus sancti missionem, & per gloriosam Virginem Mariam, & per merita omnium Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium electorum: vt numquam ampliùs accessum habeatis ad hunc locum in detrimentum hominum, animalium, & quarumcumque rerum humanæ vtilitati à Deo

indultarum: In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti. *Reſp.* Amen.

Et aſpergens animalia & locum iterùm Aqua benedicta, & aſtantes, dicat:

DOmine Deus, Pater omnium rerum, defende nos & pecora iſta, defende Domine dona tua, defende familiam iſtam ab omnibus malis, per virtutem Aquæ à te miniſterio Eccleſiæ benedictæ, & per inuocationem ſancti nominis tui: In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ ſancti. Et exterminetur diabolus à terminis iuſtorum per inuocationem ſancti nominis tui, & omnium Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium electorum, & nos & pecora hæc ab omni malo liberare & cuſtodire digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Poterunt prædicta ſæpiùs repeti, vel aliæ Preces & Exorciſmi ex ſuprà poſitis, vel ex iis quæ habentur infrà contra infeſtationes domorum, his adiungi, mutatis mutandis.

EXOR-

EXORCISMVS contra maleficia lacticiniorum, & aliorum comestibilium, frugum, &c.

QVANDO lac, butyrum, vel alia comestibilia maleficiata videntur, præmissis iam dictis de familia constituenda in statu gratiæ, præmittet Exorcista (si iudicet longiores Preces adhibendas) Litanias Sanctorum, prout suprà habentur fol. 141. *quibus subiunget sequentes Orationes, & reliqua.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui inter cetera dona clemẽtiæ tuæ, hominibus ad vsus varios vitæ mortalis, lactis substantiam largiri dignatus es: maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt lactis huius substantiam sic benedicere digneris, vt & seruis tuis feliciter & copiosè proueniat, & quisquis illo deinde ad alimentum suum, vel ad aliam vitæ huius commoditatem vti voluerit, gratiam tuam & benedictionem sibi gaudeat adfuisse. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, cui creaturarum tuarum bonitas placet, quiq; ex abundantia pietatis tuæ fideles per Prophetam tuum ad comedẽdum pinguia in-

uitare dignatus es, atque inter alias creaturas pinguedinis tuæ participes, butyro tantam dignitatem tribuisti, vt non modò illud hominibus omnis generis, sed vnigenito etiam Filio tuo, pro salute nostra de purissima Virgine incarnato, in cibum & alimentum seruire volueris: clemẽtiam tuam humiliter imploramus vt à substantia butyri huius vim omnem fraudemque virulenti hostis benignus auertas: nihil hîc nocumenti, nihil mortiferæ corruptionis inferre præsumat; sed quod fidelibus tuis ad humanæ indigentiæ remedium contulisti, integrum illis, inuiolatum ac incorruptum seruetur, vt cum digna gratiarum actione sumentes, vitæ suæ ac sanitati prodesse sentiant ac lætentur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus & ministris tuis, præ ceteris tantam gratiam conferre dignatus es, vt quidquid in nomine tuo per eos agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, vt quidquid ego, licet indignus, modò visito, visitare, quidquid benedico ✠, benedicere digneris, & ad introitum meæ humilitatis, omnium Sanctorum tuorum meritis dæmones fugentur & expellantur ab hac domo, & ab his creaturis

tuis

tuis ad hominum vsum à te relictis & destinatis, cessent & tollantur omnes nequitiæ & fascinationes eorum, & Angelus pacis & salutis hîc adsit, qui eos compescat, & hinc discedere cogat cum omnibus maleficiis. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Deinde legat Euangelium S. Ioannis, In principio erat Verbum. *vt suprà, fol.* 202.

EXORCISMVS *pro lacte.*

ECce Crucem ✠ Domini, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Exorcizo te creatura lactis in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in nomine Iesu Christi ✠ filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti, vt fias lac exorcizatum in salutem fidelium, & sis omnibus ex te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat à te nequitia omnis ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque nocendi facultas in te quouis modo per ministros satanicos introducta.

Alius EXORCISMVS.

EXorcizo te per illum qui sanctis Patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, terram lacte & melle manantem repromisit, eamdemq; terram posteris eorum fideliter tradidit possidendam; ne eiusdem Dei & Domini nostri fidelibus seruis sis mali alicuius,

nocumenti, morbi, infirmitatis; mœroris aut anxietatis occasio. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS *pro butyro.*

EXorcizo te creatura butyri, per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verũ, per Deum ✠ sanctum, per Deum qui hominibus ab initio pro sua bonitate ad vsus vitæ huius corruptibilis butyrum de armento dedit & lac de ouibus: vt nihil in te loci habeat aduersariæ cuiuscumque virtutis operatio, nihil in te potestatis malitia satanę, nihil ars damnata quorumuis vtriusque sexus illi impia ac nefaria societate adhærentium, vt quouis modo substantiam tuam minuant vel corrumpant, vel quacumque ratione hominibus noxiam reddant: præstante illo & seruante, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculũ per ignem. *Resp.* Amen.

Alius generalis EXORCISMVS.

ADiuro te, quicumque es quietis humanæ perturbator, per Patrem ✠, & Filium ✠, & Spiritum ✠ sanctum, vt nocere desinas huic domui, neque audeas malefacere frugibus & omnibus quæ in domo sunt, frumento, vino, oleo, lacti, butyro, caseis, ouis, vel animalibus, ceterisque omnibus ad hanc domum pertinentibus. Hoc

tibi

tibi imperet Dñs Iesus Christus per suam sãctam natiuitatem, baptismum, ieiunium, & per amarissimam suam passionem, crucem & mortem; denique per sanctam suam resurrectionem, ascensionem in cælos, & Spiritus sancti missionẽ. Cogant te suis precibus & meritis apud Deum exequi mandatum istud, beatissima Virgo & mater eiusdem Domini nostri Maria, nouẽ chori Angelorum, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, & omnes Sancti & Sanctæ Dei, quibus hæc domus & omnia ei contingentia cum omnibus habitantibus in ea sit in protectione & custodia contra omnes insidias inimici. Per eumdem Dominum, *&c.* *Resp.* Amen.

Alius EXORCISMVS *contra inuisibilem lactis, butyri, vel aliarum rerum per incantationes ablationem.*

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ad seruandam inter homines pacem, furtum facere, & rem proximi concupiscere prohibuisti; obsecramus clementiam tuam,

vt omnes qui quod iniustè concupiscunt, dæmonis adiutorio proximis suis auferre nituntur, dexteræ tuæ virtute coërceas, & hisce famulis tuis, qui concessis à te vitæ suę subsidiis ad honorem tuum frui desiderant, sanctorum Angelorum cõcede præsidium, qui dæmonum potestate repressa, maleficos iniustorum hominum conatus, quos eorum adiumento perficiendos existimant, irritos reddant & frustraneos. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, immunde spiritus, qui ad turbandam Christianorum quietem, & ad iniurias in bonis temporalibus inferendas hominibus tua fraude deceptis auxiliũ præbes, per iudicem viuorum & mortuorum, vt ab hac domo & familia omnibusq; ad eam pertinentibus recedas, nec quidquam eorum quæ ad illam spectant attingere vel auferre præsumas.

Exorcizo te per æternam Dei iustitiam, ex qua lex illa, qua suum cuique dandum esse statuitur, emanauit, vt omnibus promissionibus, pactis, artibus, signisque, quibus te quasi astrictum & obligatum simulas, dissipatis, diuinæ seueritatis in te exercendæ formidine, omnia quæ huius familiæ sunt, salua & intacta dimittas. Recede ergo hinc,

diui-

diuinæ legis transgressor, hominumq; perturbator, & Angelis sanctis, quorum tutelæ familia ista commissa est, te propellentibus, fuge, nec eam in sua quiete ac bonis lædere, aut vlteriùs molestare præsumas, inuocato contra tuam malitiam nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℣ *Resp.* Amen.

Aspergatur deinde Aqua benedicta.

Possunt etiam istis aptari, quæ habentur infrà cōtra noxia animalia, vermes, &c. corrumpentes agros & fruges. Facilè etiam Exorcista poterit hos Exorcismos accommodare variis rebus ad vsum hominum spectantibus, arte magica & diabolica veneficiatis.

Monebit & instruet Sacerdos in lacticiniis operam præstantes, vt dum ad opus lactarium se parant, in se excitent fiduciam in Deum, recitentq; attentè & religiosè Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, cùm Symbolo fidei. Et muniant se & opus suum signaculo sanctæ Crucis, aspergant Aqua benedicta, & ipsis lacticiniis imponant aliquid salis benedicti, accendant cereum benedictum. Sed in applicatione prædictorum abstineant à superstitiosis admiscendis; sed nudè & simpliciter hæc peragant, auxilium & subsidium exspectantes à Deo per preces Ecclesiæ.

Docebit etiam, multas pias feminas plurimùm auxilij inuenisse contra omnes maleficiorum infestationes, quòd ex iisdem lacticinijs vel aliis rebus, consueuissent aliquam partem dare pauperibus ad Dei gloriam ex Christiana charitate, cum recta intentione, pioq; animo.

EXORCISMVS contra imminentem tempestatem tonitruorum, fulgurum, grandinum, ventorum, *&c.*

PEr signum ✠ Crucis de inimicis ✠ nostris libera nos ✠ Deus noster, In nomine Patris ✠, & Filij, & Spiritus sancti. Amẽ. *Dicitur Symbolum fidei, scilicet,* Credo in Deũ, *&c. Deinde,* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Dñi. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Sit nomen Dñi benedictum. *Resp.* Ex hoc nunc & vsque in sæculum. *Vers.* Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. *Resp.* Et fugiant qui oderũt eum à facie eius. *Vers.* Exurge Christe, adiuua nos. *Resp.* Et libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis

sunt,

ſunt, quiq́ue flumini Iordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus, & brachia ſacratiſſima in cruce ✠ extendiſti, quibus aërem ſanctificaſti: obſecramus immenſam pietatis & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me, à dextris & à ſiniſtris, video aërem perturbare, diſſoluere & annihilare digneris: vt alligata poteſtas dæmonum impiè deſæuientium, deficiat & turbetur, ad laudem tui ſanctiſſimi nominis, & potentiſſimæ maieſtatis tuæ. Qui viuis & regnas.

Poſteà conuerſus ad nubes, ſignet eas ſigno Crucis, dicens: Circumdet te nubes Deus Pater ✠, circumdet te Deus Filius ✠, circumdet te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Deſtruat te Deus Pater ✠, deſtruat te Deus Filius ✠, deſtruat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Comprimat te Deus Pater ✠, comprimat te Deus Filius ✠, comprimat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Amen.

Obſecratio.

SAnctus Matthæus, ſanctus Marcus, ſanctus Lucas, ſanctus Ioannes Euangeliſta, qui Chriſti Euangelium per quattuor mundi partes diuulgarunt, ipſi ſuis meritis & precibus hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab

eodem

eodem Domino nostro Iesu Christo remoueri obtineant & depelli.

EXORCISMVS.

ET ego peccator & Christi Sacerdos seu minister, licet indignus, auctoritate & virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi, summi Imperatoris, non mea potentia innixus & confisus, vobis præcipio, immundissimi spiritus, qui has nubes seu nebulas concitatis, in virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi ✠, per sanctissimam eiusdem incarnationem, per sãctam natiuitatem, per baptismum & ieiunium ipsius, per eius sacratissimam Crucem ✠ & passionem, per sanctam resurrectionem, per admirabilem ascensionem, per tremendum aduentum eius ad iudicium, per merita intemeratæ semperque virginis Mariæ, & sanctissimi *N.* & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis ab eis, & eas dispergatis in locis siluestribus & incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus, humanis vsibus deputatis. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commouetis, de quo de nube lucida dictum

ctum est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ✠ ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, corporis sui sanctissimi in ea extensione, aërem purgauit: ✠ ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque deuicit & ligauit, atque æternæ gehennæ mancipauit ignibus: ✠ ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit à mortuis: ✠ ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus, virtute sua ascendit in cælum: ✠ ipse vobis imperat, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen. *Et posteà ostendat Crucem in aëra, dicens*: Ecce lignum sanctissimæ Crucis, fugite partes aduersæ; vicit enim vos & mundũ Dominus noster Iesus Christus filius Dei, Imperator summus, leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Posteà Aqua benedicta in modum Crucis aspergat per quattuor latera.

Si nondum quieuit tempestas, legantur flexis genibus Litaniæ Sanctorum, cum quattuor immediatè subsequentibus Orationibus, prout suprà fol. 141. *quibus adiungantur sequentes.*

Oremus.

A Domo tua, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur: & aërearum discedat malignitas tempestatum. Per Do-

Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Oremus.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi: & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum. *Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo cõseruas: præsta supplicibus tuis, vt aëris tranquillitate dono tuæ pietatis vtamur, & misericordiæ tuæ consolatione lætemur. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Surgens Sacerdos ab oratione, aspergat vt suprà Aqua benedicta, & legat sequentia.

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis Apostoli. *Apoc. 7.*

POst hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascẽdentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui. Et clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusq; signemus seruos Dei

nostri

nostri in frontibus eorum. Tu autem Domine miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Matthæum. *Matth.* 14.

IN illo tempore: Vespere autem facto, solus [Iesus] erat ibi: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicẽs: Domine, saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eum; & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cùm ascendisset in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta impediantur & dissipẽtur omnia diabolica facta. *Resp.* Amen.

Ex

Ex Psalmis.

Psal.17. IN tribulatione mea inuocaui Dominum:& ad Deum meum clamaui.

Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus in conspectu eius,introiuit in aures eius.

Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt,quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit:carbones succẽsi sunt ab eo.

Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

Et ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt:grando,& carbones ignis.

Et intonuit de cælo Dominus,& Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit,& conturbauit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Ab increpatione tua Domine,ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Misit

Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioseph. *Psal. 76.*

Viderunt te aquæ Deus, viderũt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.

Confitebuntur cęli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. *Psal. 88.*

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?

Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem & mare tu creasti.

Nihil proficiat inimicus in nobis: & filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Psal.103. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.

Psal.106. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius.

Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius.

Et lętati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

Et exaltent eum in Eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſęculorum, Amen.

Oremus.

DEus, qui in maieſtate tua aſcendis ſuper Cherubim, & ambulas ſuper pennas ventorum, quiq; ponis tenebras latibulum tuum in circuitu tuo, & tabernaculũ tuum tenebroſam aquam in nubibus aëris: miſerere, miſerere noſtri; placare Domine, parce populo tuo, & aërearum quęſumus diſcedat malignitas tempeſtatum, vt ſicut iuſtè propeccatis noſtris periculo mali imminẽtis affligimur, ita miſericordia tua præueniente, clemẽtiam ſentiamus. Et ſi forſitan opera dæ-

ra dæmonum hæc concitantur in tuorum fidelium detrimentum; intona, quæsumus, de cælo Altissime, da contra spiritalem nequitiam vocem tuam, grandinem, & carbones ignis; fulgura coruscationem, & dissipa eos, emitte sagittas tuas, & conturba eos; vt cognoscamus omnes te rectorem omnium esse, qui rerum vices ineffabili tua prouidentia temperas. *Resp.* Amen. *Psal. 143.*

EXORCISMVS.

EXorcizo vos scelestissimos dæmones, qui naturalia principia & aëreas impressiones, ex quibus mortalibus omnibus diuersimodè beneficia operatur Deus, ausi estis in consummationem nequitiæ vestræ conuertere, ventos concitantes, vapores congregantes, nubes componentes, fulmina & tonitrua excitantes, Per Deum ✠ Patrem omnipotentem, per Dominum Iesum Christum ✠ filium eius vnigenitum, & Spiritum sanctum ✠ Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Exorcizo vos per gloriosam Virginem Mariam, stellam maris, tranquillitatem & serenitatem inducentem. Exorcizo denique vos per omnes illos, in quibus Deus mirabilis & gloriosus apparet, vt à commouenda hac tempestate desistatis, nec ampliùs terræ fructibus, multò minùs hominibus

noceatis. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Alia ADIVRATIO.

SAnctus Matthæus ✠, sanctus Marcus ✠, sanctus Lucas ✠, sanctus Ioannes Euangelista ✠, qui Christi Euangelium per quattuor mundi partes diuulgauerunt, ipsi suis meritis & precibus hanc tempestatem ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Iesu Christo obtineant effugari & depelli. Et ego indignus Christi Sacerdos, auctoritate & virtute eiusdē Dei & Domini nostri Iesu Christi, summi Imperatoris, vobis pręcipio, immundissimi spiritus, si qui has tempestates concitatis, per tremendum eius iudicium, & per sanctissimæ Crucis ✠ signum quod vobis oppono, & per merita intemeratæ semper virginis Mariæ Dei genitricis, & per merita omnium Sanctorum, vt desinatis nocere hominibus ceterisque rebus humano vsui concessis, & tempestates à vobis concitatæ dispergantur in locis siluestribus, absque hominis aut iumenti alicuius aut fructuum terræ nocumento. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Alia

Alia ADIVRATIO.

ADiuro vos, impij dæmones, per Deum omnipotentem ✠, qui populũ Israelem pręcedebat, ad ostendẽdam viam, per diem in columna nubis, montemq; Sinai sex diebus nube texit: cuius gloria impletum est tabernaculum testimonij opertum nube, qui in nube posuit arcum fœderis sui; cuius vox in nube audita est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; & per Iesum Christum Dominum nostrum, quem nubes suscepit ab oculis Apostolorum quando ascendit ad cælum, qui in nubibus veniet ad iudicandum viuos & mortuos, quando etiam in nubibus rapientur iusti obuiàm Christo. Per eum (inquam) qui hæc & alia mirabilia valdè operatus est in nubibus, adiuro vos, ne his creaturis seruientibus Deo & hominibus abutamini ad inferendum nocumentum alicui creaturæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. *Exod.24.*

Debent etiam statim ab initio, vt moris est, pulsari campanæ.

Si tempus tempestuosum adhuc permanserit, poterunt suprà dicta pluries repeti.

EXORCISMVS contra quæcumque noxia animalia, vermes, mures, serpentes, & alia quęcumque agros vel aquas extraordinariè inficientia & corrumpentia.

EXORCISTA *veniens ad locum infectum, indutus ad minimum stola (qua in omnibus Adiurationibus vti debet) asperget Aquam benedictam circum circa, vel secundùm loci exigentiam. Deinde signans se signo Crucis, dicet:*

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Subiunget clara voce flexis genibus, si commoditas loci permittat, Litanias Sanctorum cum Orationibus vt suprà habentur fol. 141. *cum sequentibus Orationibus.*

Oremus.

DEus, refugium nostrũ & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta; vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen. Oremus.

ALoco isto, quæsumus Domine, spiritales nequitiæ & noxia quæque recedant, & aërearum potestatum malignitas,

vt

vt præsentibus subsidiis sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiùs appetamus. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, vt qui iustè pro peccatis nostris hanc ærumnam patimur, pro tui nominis gloria ab eadem misericorditer liberemur; vt procul tuâ potentiâ expulsa hæc noxia animalia, nulli de cetero noceant, & hos agros, terras, aquas, in tranquillitate & quiete dimittant; quatenus ex iis prouenientia tuæ maiestati deseruiant, & nostræ necessitati absque nocumento subueniant. Per Dominum nostrum, *&c. Resp.* Amen.

Surgens Exorcista ab oratione, versus agros vel aquam leget sequentia.

Lectio Apocalypsis beati Ioannis Apostoli. *Apoc. 9.*

ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol & aër de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram: & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ: & præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neq; om-

nem arborem; nisi tantùm homines qui non habent signum Dei in frontibus suis. Tu autē Domine, miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam. *Lucæ* 11.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem: numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum: numquid porriget ei scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta deleantur nostra delicta. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis.

Psal.49. DEus deorum dominus locutus est: & vocauit terram.

A solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius.

Deus manifestè veniet: Deus noster & non silebit.

Audi populus meus, & loquar: Israel, &

& teſtificabor tibi: Deus Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum: iumenta in montibus & boues.

Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum eſt.

Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Numquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo?

Immola Deo ſacrificium laudis: & redde Altiſſimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus. *Pſal. 146.*

Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores vſque ad terram.

Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam ſeruituti hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo & adiuro vos, pestiferi vermes, per Deum Patrem omnipotentem ✠, & per Iesum Christum ✠ filiũ eius Dominum nostrum, & per Spiritum sanctum ✠ ab vtroque procedentem, vt confestim recedatis ab his campis, agris, pratis, hortis, vineis, aquis, si Dei prouidentia adhuc vitam vobis indulgeat, nec ampliùs in eis habitetis, sed ad illa ac talia loca transeatis, vbi nullis Dei seruis nocere poteritis. Vobis, si per maleficium diabolicum hîc estis, pro parte diuinæ maiestatis, totius curiæ cælestis, nec non Ecclesiæ hîc adhuc militantis impero, vt deficiatis in vobisipsis, ac decrescatis, quatenus reliquiæ de vobis nullæ reperiantur, nisi ad gloriam Dei & ad vsum & salutem humanam conducibiles. Quod præstare dignetur qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Alius EXORCISMVS.

ADiuro vos, dæmones, per Deum Patrem omnipotentem, qui in deserto

per

per quadraginta annos ſatiauit filios Iſrael manna, & ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, vt ſtatim ab his agris, campis, vineis, pratis, hortis, aquis, omne quod noxiũ eſt amoueatis. Adiuro etiam vos animalia, & quæcumque per maleficium diaboli noxia eſtis hominibus & bonis eorum, per Deum Patrem omnipotentẽ, & per Filium eius, & per Spiritum ſanctum paraclitum, vt hinc diſcedatis, & nocere deſinatis graminibus, frugibus, piſcibus [*exprimãtur quæ nocumentum patiuntur*] & diſſipemini, & omnis virtus & poteſtas nocendi vobis adimatur, & interimat vos dextera Dei omnipotentis per inuocationem nominis ſui, & per paſſionem & mortem Ieſu Chriſti filij ſui, & per merita beatiſſimę Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum & Sanctarum celeſtis curiæ. Amen.

Concludat Exorciſta ſequenti Oratione.

OMnipotens ſempiterne Deus, remunerator omnium bonorũ, & pœnitentium peccatorum maximus miſerator: in cuius nomine omnia genua flectuntur, cæleſtium, terreſtrium, infernorum: concede nobis propitius, vt quod de gratia & miſericordia tua confiſi agimus, per eamdem gratiam & virtutem tuam efficacem conſequatur effectum; vt per tuam clementiam ab

hac

hac peste liberati, maiestati tuæ congruas gratiarum referamus actiones. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oratio propria super aquas infectas.

DOmine Iesu Christe, qui Iordanis flumen benedixisti, & in eodem baptizatus aquas mundasti, vt elementum salubre efficerentur in remissionem peccatorum: has quoque aquas benedicere, sanctificare, & purificare digneris: vt nihil in iis noxium, nihil pestilens remaneat, nihil inficiens aut corrumpens; sed munda omnia efficiantur & salubria. Quatenus quæ ad vsum humanum ex iis vel in iis creata sunt, cum promotione gloriæ tuæ, vitæque nostræ & sanitatis sumantur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde asperget vt suprà Aquam benedictam. Possunt etiam hinc inde poni & infigi palmæ benedictæ ab Ecclesia.

Modus

Modus discernendi APPARITIONES SPIRITVVM, vtrùm boni sint an mali: cum remediis & Exorcismis contra spiritus malos infestantes domos vel alia loca.

ETSI *donum discernendi spiritus non sit omnium, sed peculiari gratia quibusdam concedatur; & negari non debeat, quin bonorum hominum spiritus singulari dispensatione Dei redire possint, & aliquando redeant, teste Scriptura, quæ refert Samuelem apparuisse Sauli, teste item D. Gregorio in Dialogis; licet etiam de Angelorum apparitionibus multa in Scripturis habeantur: tamen cùm eis malignorum spirituum fraudes optimè sint notæ, & probè sciant, quantum nobis ab eorum insidiis periculi sit, nihil offendentur boni spiritus, si cautissimè nobis prospiciamus, & omnem insolitam apparitionem suspectam habeamus, ac proinde sicubi spiritum tumultuantem aut cientem terribiles strepitus audierimus, aduersus eum tamquam dæmonem armemur, tantisper donec aliud certissimis documentis deprehẽdatur. Et in hunc vsum accommodari possunt quæ de spirituum immundorum discretione disserit S. Antonius apud Athanasium in Vita ipsius, potissimùm à cap.* 18. *quod sic inchoatur:* Nunc iam ceteras vobis dæmonum explicabo fallacias, *&c.*

In

In gratiam tamen eorum qui fortè carent libris necessariis, ex quibus hæc discere possent, subiunguntur hic aliquot regulæ, quibus discerni facilè poterunt apparitiones bonorum & malorum spirituum.

Indicia mali spiritus sunt:

Primò, si ad præsentiam vel visum rerum sacrarum diffugiat, nimirum signi Crucis, Aquæ benedictæ, nominis IESV, *B. Virginis, aut alicuius Sancti, sacrarum Reliquiarum, Agni Dei, cerei benedicti, stolæ sacræ, & similium quibus Ecclesia vti consueuit contra diabolicas fraudes. Item si hæc improbet aut dissuadeat.*

Secundò, Si falsam vel prauam suæ apparitioni prætendat causam.

Tertiò, Si aliqua dicat contra Fidem & Ecclesiæ doctrinam, vel suadeat aliquid quod sit à moribus Sanctorum alienum.

Quartò, Si excitet mentem hominis ad superbiam, ad vanam gloriam, ad præsumptionem animi, ad desperationem, vel ad alium minùs ordinatum affectum.

Quintò, Si rem non patitur tractari cum superiore, vel Confessario.

Sextò, Si in forma tetra aut abiecta appareat, vel cum fœtore, tumultu, horrore, clade discedat.

Septimò, Si vbi semel præstitum est quod subsidij causa petiit, rursùs quæsitis aliis occasionibus friuolis redeat: animæ enim, vbi satisfeceris, vel non redeunt, vel semel tantùm vt gratias agant.

Octauò, Si blandè accedat, sed posteà relinquat

mœro-

mœrorem, desolationem, turbationem animi, tenebras mentis: boni enim spiritus est illuminare, solari, & tranquillitatem animi adferre. Quod signum etiam habet locum, & obseruãdum; quando non statim se spiritus prodit, vel dicit quid cupiat. Huiusmodi tamen ordinariè pro malignis haberi possunt, qui non statim indicant quid velint; præsertim si turbent domum, aliaq; faciant quæ tendunt ad nocendum hominibus. Animæ redeuntes & boni spiritus non volunt aut intendunt hominibus nocumentum vel perturbationes inferre.

Aduertant tamen sedulò curam animarum gerentes ad fallacias & technas dæmonum, quomodo se soleant teste Apostolo transformare in Angelos lucis: proinde etiamsi initio se prodant, vt spiritus boni solent; inquirant de secunda, tertia, & sequentibus apparitionibus, & facilè deprehendent fraudem; non enim diu possunt lupi se tegere sub ouina pelle.

Si autem post diligentem indagationem apparitio maneat dubia an sit à bono an à malo spiritu, adhibeant remedia & Exorcismos Ecclesiæ, eosq; per preces cogant ad se manifestandos.

EXORCISMVS domus à malis spiritibus vexatæ.

S*Acerdos indutus superpelliceo & stola, dicit:* In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. Amen. *Deinde flexis genibus*

Hym-

Hymnũ, Veni creator Spiritus, *&c. Verſ.* Exſurge Chriſte, adiuua nos. *Reſp.* Et libera nos propter nomen tuum. *Verſ.* Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen. Oremus.

REſpice, quæſumus Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus, *&c. Reſp.* Amen. Oremus.

DEfende, quæſumus Domine, beata Maria ſemper virgine intercedẽte cum omnibus Sanctis tuis, iſtam ab omni aduerſitate familiam: & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contuliſti,

tulisti, vt quidquid in tuo nomine dignè perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur; quæsumus immensam clementiam tuam, vt quod modò visitaturi sumus, visites: & quidquid benedicturi, bene+dicas: & ad ea quæ acturi sumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: sintque ad nostræ humilitatis introitum (Sanctorum tuorum meritis) fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum. *Resp.* Amen. Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, & omnium benè viuentium: Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, te inuoco, & nomen sanctum tuum, ac pręclaræ maiestatis tuæ clementiam supplex deposco, vt mihi auxilium præstare digneris aduersum nequissimum spiritum; vt vbicumque sit, audito nomine tuo velociter exeat & recedat. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

ADIVRATIO.

ADiuro te serpens antique, per Iudicem viuorum & mortuorum, per Factorem mundi, qui habet potestatem mittere te in gehennam, vt ab hac domo festinus discedas. Ipse tibi imperat maledicte diabole, qui ventis ac mari & tempestatibus

perauit. Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cęlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui te retrorſum abire præcepit. Audi ergo ſatana, & time, & victus & proſtratus recede, adiuratus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. *Reſp.* Amen.

Deinde Sacerdos incipiet quindecim Pſalmos Graduales, qui ſunt inter alios Pſalmos magis proprij ad hanc materiam: legendoq; aſpergat Aqua benedicta domus loca, illa potiſſimum vbi fit maior infeſtatio, ac primùm inferiorem partem domus. Moneatq; aſſiſtentes vt preces ſuas cum ipſius coniungant. *Pſalmus* 119.

AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gloria Patri.

Pſal-

Psalmus 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.

Non det in commotionẽ pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in sæculum. Gloria Patri.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Ierusalem.

Ierusalem, quæ ędificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.

Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei noſtri: quæſiui bona tibi.

Gloria Patri, & Filio. *Pſalmus* 122.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.

Ecce ſicut oculi ſeruorum: in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multũ repleti ſumus deſpectione.

Quia multùm repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri. *Pſalmus* 123.

NIſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael: niſi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos: fortè viuos deglutiſſent nos.

Cùm iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Tor-

Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt: de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.

Adiutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quibus finitis, dicit Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. *Verſ.* Et ne nos inducas in tentationem. *Reſp.* Sed libera nos à malo. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium, perpetuam tibi conſtrue manſionem: & pręſta, vt in hac domo nulla malignorum ſpirituum dominetur nequitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Deinde dicuntur alij quinque Pſalmi, etiam aſpergendo loca domus.

Psalmus 124.

QVi confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis: & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria Patri.

Psalmus 125.

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Conuerte Domine captiuitatē nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis: in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.

Venien-

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri,& Filio.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustrà vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.

Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri.

Psalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es,& benè tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.

Gloria Patri.

Psalmus 128.

SÆpè expugnauerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Israel.

Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.

Dominus iustus concîdit ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur, exaruit.

De quo non impleuit manum suam qui metit: & sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

Statim dicit Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie

Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris; adesto supplicationibus nostris, vt huius domus sis protector, & nulla hîc nequitia contrariæ potestatis obsistat: sed (virtute Spiritus sancti & operatione) fiat tibi hîc purum seruitium, & deuota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Posteà dicuntur alij quinque Psalmi Graduales, aspergendo, vt supra, loca domus Aqua benedicta.

Psalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulaui in magnis: neq; in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino: ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Gloria Patri. Sicut erat.

Psalmus 131.

MEmento Domine Dauid: & omnis mansuetudinis eius.

Sicut iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculũ domus meæ: si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inueniam

ueniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis ſiluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.

Surge Domine in requiem tuam: tu & arca ſanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent.

Propter Dauid ſeruum tuum: non auertas faciem Chriſti tui.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentũ meum: & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filij eorum vſque in ſæculum: ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.

Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo.

Inimi-

Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri. *Psalmus* 132.

ECce quàm bonum, & quàm iucundum: habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vsque in sæculum.

Gloria Patri. *Psalmus* 133.

ECce nunc benedicite Dominum: omnes serui Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum & terram.

Gloria Patri, & Filio.

Quibus finitis, dicit Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus qui in omni loco dominationis tuæ, custos & protector assistis, exaudi nos quæsumus; vt inuiolabilis huius domus permaneat benedictio; & beneficia tui muneris, vniuersitas quæ supplicat, mereatur. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Posteà in principali loco domus legat sequens Euangelium. Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Ingressus Iesus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zacchæus: & hic erat princeps Publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & & dixit ad eum: Zacchæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacchæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meo-

meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat. *Resp* Laus tibi Christe.

Deinde benedicitur incensum hoc modo: Per intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incēsi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene ✠ dicere, & in odorem suauitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Posteà Sacerdos ponat incensum super ignem, & incenset domum, dicens: Incensum istud à te benedictum, ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationē istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Iesum Christum. *Resp.* Amen.

Posteà domum & habitatores eius benedicat, dicens: Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti, descen-

descendat super hanc domum, & omnes habitãtes in ea, & maneat sẽper. *Resp.* Amen.

Et aspergat Aqua benedicta.

Alia formula benedicendi domum infestatam à malignis spiritibus.

Sacerdos vocatus ad domum aliquam benedicendam, in ipso itinere dicat:

DOmine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam. *Psal. 5.*

Respice in seruos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum *N.* *Psal. 89.*

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarũ dirige.

In ingressu domus dicat: Pax huic domui. *Luca 10.* *Deinde ad inhabitantes:* Pax vobis à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. *Illísque faciet breuem exhortatiunculam lingua materna de infrascriptis rebus vel aliis pro data opportunitate.*

Primò, Vt doleant de peccatis præteritis, & proponant emendationem.

Secundò, Vt satisfaciant proximo, si quoquo modo offenderint.

Tertiò, Vt remittant iniuriam & offensam, & pro offensoribus orent, vt tantò citiùs exaudiantur à Deo Opt. Max.

Deinde

Deinde surgens si non habeat Aquam benedictam ad manum, benedicet illam per formulam benedicendi infrà positam fol. 296. illáque asperget totam domum legendo sequentia:

Psal 50. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. *Prosequetur totum Psalmum* Miserere mei Deus, *fol.* 109. *In fine repetet*, Asperges me Dñe, *&c. & sic repetendo, donec perfecerit aspersionem, & reuersus ad locum vnde inceperat, dicat Vers.* Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro eius habitatoribus, ac rebus, vt eam bene✠dicere, & sancti✠ficare, ac bonis omnibus augere digneris, sicut benedicere dignatus

tus es domum Abraham, Isaac, & Iacob. Tribue illis Domine de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ subsidium, & desideria cordis eorũ ad effectum tuæ miserationis perducas, & intra domum istam Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & eius habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Posteà benedicat incensum per benedictionem quæ habetur infrà, fol. 309. & sicut priùs incenset totam domum, vel præcipuas eius partes, legendo sequentia:

Imponendo thus benedictum in thuribulo, Incensum istud à te benedictum, ascendat ad te Domine, & descendat super nos misericordia tua.

Incensando: Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Reuersus ad locum vnde inceperat, dicat: Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

VIsita, quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos & eam semper. Per

Christum Dominum nostrũ. *Resp.* Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum seruitium spirituale & igneum esse cognoscitur; dignare respicere & bene✠dicere habitationem istam, vt omnes languores, omnesque infirmitates, cunctæque insidiæ inimici, odorem huius incensi sentientes, effugiant & separentur à plasmatibus tuis, & ab eorum habitatione, vt numquam lædantur à morsu antiqui serpentis, pretioso Filij tui Sanguine redempta. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sęcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Deinde ponet Crucifixi imaginem in principali loco domus, in mensa tecta mappa inter duos accensos cereos benedictos si haberi possint.

Adorans Crucem flexis genibus, dicat: Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. *Vers.* Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi. *Resp.* Psalmum dicat nomini tuo Domine.

Oremus.

ADesto nobis Domine Deus noster, & quos sanctæ Crucis lætari facis honore, eos quoque perpetuis defende subsidiis. Per Dominum nostrum, *&c.* *Resp.* Amen.

Ore-

Oremus.

DEus, qui crucis patibulum, quod priùs erat sceleratis ad pœnam, conuertisti redemptis ad vitam: concede plebi tuæ, eius vallari præsidio, cuius est armata vexillo. Sit ei Crux fidei fundamentum, spei suffragium, in aduersis defensio, in prosperis adiuuamen: sit ei in hostes victoria, in ciuitate custodia, in campis protectio, in domo tutela contra sæua iacula inimicorum. Per eumdem Dominum, *&c. Resp.* Amen.

Surgens Exorcista ab oratione, stans leget sequentia:

Lectio libri Regum. 2. *Reg.* 6.

HAbitauit arca Dñi in domo Obededom Gethæi tribus mensibus; & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius. Nuntiatumque est regi Dauid quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Dixitque Dauid: Ibo & reducam arcam cum benedictione in domum meam. Tu autem Domine miserere nobis. *Resp.* Deo gratias.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, immundissime spiritus, omnisque incursio satanæ, In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti, vt recedas ab his locis habitationis & quietis fidelium, nec deinceps quidquam molestiæ

aut infestationis inferre audeas adiuratus. Sanctus Angelus Raphael, qui te repressit à Tobia & Sara, te etiam disperdat de domo & loco isto, de angulis, lectis, & vniuersis locis in quibuscumque famulantes Deo habitant & quiescunt, dormiunt & vigilant, aut consistunt; nec audeas maligne spiritus & immunde inquietare, aut molestias vel maleficia suscitare contra eos, quæ sancti Chrismatis vnctione sunt muniti. Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Posteà aspergat Aquam benedictam, quod fiet post singulos Exorcismos.

Alius EXORCISMVS.

EXorcizo te, dæmon, & adiuro te per Deum viuum ✠, per Deum verum ✠, per Deum sanctum ✠, vt exeas atque recedas dē loco isto, nec vmquam reuertaris, nec habitantibus in eo aut homini aut bruto pauores immittas, aut quodcumque maleficium inferas, per eum qui te vicit & superauit in patibulo crucis, & potestatem tuam ligauit, quique cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen.

Alius EXORCISMVS.

OMnipotens Deus, qui est rerum omnium creator, custosque fidelium, clementer

menter respicere dignetur ad nostræ fragilitatis ministerium, vt ad introitum nostrum per benedictissimi & tremendi nominis IESV inuocationem, in quo flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorũ, mundetur, benedicatur & sanctificetur habitatio ista cum locis adiacentibus, discedat omne phantasma & nequitia ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus; & si quid est quod incolumitati inhabitantium inuidet aut quieti, nostræ humilitatis suffragiis effugiat, per intercessionem totius cælestis exercitus, Apostolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum, quorum præsentia & assistentia suffulti, in nomine Saluatoris nostri Iesu Christi adiuramus & vrgemus hinc discedere, per signũ sanctæ Crucis ✠ immundum spiritum; præcipimusque vt in posterum cesset omnis infestatio eius, & cunctæ eius præstigiæ & phantasmata eradicentur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

EXPROBRATIO.

TIme iudicia Dei, maledicte dæmon, expauesce iram omnipotentis, perspice iniquitates tuas quibus grauiter deliquisti, & verum bonum neglexisti: da locum vo-

luntati Dei, qui tibi iubeat vt ſtatim recedas ab hac domo, quam temerè inuadere & moleſtare præſumpſiſti, & habitatores eius inquietare. Quapropter adiuro te per Deũ omnipotentem qui cuncta ex nihilo creauit, & ſuperbiam tuam fregit; per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt ſpes noſtra & ſalus æterna, qui facit bonitatem cum ſeruis ſuis ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ, qui expanſis in cruce manibus & nudo corpore, pro peccatis noſtris Deo Patri ſponte ſe totum obtulit; cuius paſſionis merita & virtus nobis ceſſerunt ad gloriam, tibi verò in confuſionem, vt recedas à loco iſto, & habitatoribus eius, intelligens & ſentiens vires tibi fractas, & dominationem quam anteà tyrannicè in genus humanum exercueras, tibi ademptam. Ergo humiliare ſub manu Altiſſimi, qui ab Eccleſia ſua, quidquid eſt noxium, ſua virtute depellit; & quod ſalutare eſt, eidem largitur: qui ſuos fideles contra inſidias veſtras potenter defendit, & ſua, quæ non poteſt falli, gubernatione conſeruat. Quod & nobis concedat Pater ✠, & Filius ✠, & Spiritus ✠ ſanctus. *Reſp.* Amen.

Aſpergat Aqua benedicta, & benedicat domum cum habitatoribus, dicendo: Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠, & Filij ✠, & Spi-

ritus ✠ sancti descendat super vos, & super domum vestram, & maneat semper. *Resp.* Amen.

Possunt huiusmodi Exorcismi cum ceteris repeti, si non cesset infestatio, aliquoties in septimana, quoties & quamdiu prudenti Exorcistæ videbitur. Si breuiorem Exorcismum desideret, sumat ex prædictis deuotioni suæ magis accommodata.

Formulæ benedicendi tam comestibilia quàm alia quibus vtuntur energumeni vel maleficiati: desumptæ ex Pontificali, Missali, & Rituali Romano, & ex Scriptura sacra.

QVANDOQVIDEM (*vt sæpiùs dictum est*) *valdè vtile & expediens sit energumenis vel maleficiatis vti rebus Ecclesiæ precibus benedictis, vt Aqua benedicta, pane, sale benedicto, aliisq; cibis benedictis, & vt medicinæ ab eisdem sumendæ benedicantur, iuxta doctrinam Apostoli dicentis, omnem creaturam bonam esse, & sanctificari per verbum Dei & orationem: hic subiunguntur variæ formulæ benedictionum, quas*

prudens Exorcista facilè poterit accommodare aliis rebus hîc non expressis, mutatis mutandis: vt hac ratione etiam excludantur formularia à temerariis quibusdam excogitata, multis superstitionibus admixtis. Et licet reperiantur fortè apud aliquos Auctores bona, non sapientia superstitionem; nihilominùs expedit illas Benedictiones & Preces retineri, quæ ab Ecclesia in vsum receptæ sunt, à veteribus vsitatæ, vel proximè ad eas accedunt, eò quòd huiusmodi efficaciores sunt & maioris meriti apud Deum, quàm priuatorum. Proinde Sacerdotes & Exorcistæ his solis vtentur. Imò aliis vti non permittuntur, ne contingat malo delectu admitti quid minùs idoneum.

Ordo ad faciendam AQVAM BENEDICTAM.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Deinde absolutè incipit Exorcismum salis.

EXorcizo te, creatura salis, per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum: per Deum, qui te per Elisæum prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis: & effu-

effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare tua pietate digneris: vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Exorcismus aquæ: & dicitur absolutè.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine Iesu ✠ Christi filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Oremus.

DEus, qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene✠dictionis infunde: vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens, ad abigendos dæmones, morboſque pellendos, diuinæ gratiæ ſumat effectum: vt quidquid in domibus vel in locis fidelium hęc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici: & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aſperſione huius aquæ effugiat: vt ſalubritas per inuocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum.

Hic ter mittat ſal in aquam in modum Crucis, dicendo ſemel:

COmmixtio ſalis & aquæ pariter fiat: In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ ſancti. *Reſp.* Amen. *Verſ.* Dñs vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus inuictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperij Rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui aduerſæ dominationis

nis vires reprimis; qui inimici rugientis sæuitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur, ac petimus: vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices: vt vbicumque fuerit aspersa, per inuocationem sancti nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, vbique adesse dignetur. Per Dñm. in vnitate eiusdē Spiritus sancti.

Benedictio SALIS.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, qui hanc gratiam cælitus sali tribuere dignatus es, vt ex illo possint vniuersa condiri quæ hominibus ad escam procreasti, bene✠dic hanc creaturam salis ad effugādum inimicum, & ei salubrem medicinam immitte, vt proficiat sumentibus ad animæ & corporis sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Et aspergat Aqua benedicta.

Bene-

Benedictio PANIS.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere digneris hũc panem tua ſancta ſpirituali benedictione: vt ſit omnibus ſumẽtibus ſalus mentis & corporis; atque contra omnes morbos, & vniuerſas inimicorum inſidias, tutamen. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, panem viuum, qui de cælo deſcendit, & dat vitam & ſalutem mundo: & tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus: per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. *Aſpergatur Aqua benedicta.*

Benedictio AGNI & ALIARVM CARNIVM.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui per famulum tuum Moyſen, in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi iuſſiſti in ſimilitudinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vtroſque poſtes domo-

domorũ de ſanguine eiuſdem agni perungi præcepiſti: quiq́ue in priori Teſtamento carnes animalium in ſacrificio offerri voluiſti, & in cibum & refectionem hominibus cõceſſiſti: quæſumus vt hanc carnem bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris, quam famuli tui ad laudem tuam ſumere deſiderant, per reſurrectionem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Et mox aſpergit Aqua benedicta.

Benedictio OVORVM.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

SVperueniat, quæſumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic ouorũ creaturæ: vt cibus ſalubris fiat fidelibus tuis in gratiarũ actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Et aſpergat Aqua benedicta.

Benedictio quorumcumque FRVCTVVM.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram.

Verſ.

Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

BEne✠dic Domine hos fructus, & præſta: vt qui ex eis in tuo ſancto nomine veſcentur, corporis & animæ ſalute potiantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Et aſpergantur Aqua benedicta.

Benedictio ad quodcumque COMESTIBILE.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

BEne✠dic Domine, creaturam iſtam *N.* vt ſit remedium ſalutare generi humano: & præſta per inuocationem ſancti nominis tui, vt quicumque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Aſpergat Aqua benedicta.

Benedictio VINI, CERVISIAE, vel alterius potabilis materiæ.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram.

Verſ.

Verſ. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum & fructuum, qui per Ieſum Chriſtum filiũ tuum Dominum noſtrum, ſubſtantiam hanc in refocillationem ſitis & corporum ſalutem eſſe voluiſti; te ſupplices deprecamur, vt exãuditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis aſpectu ſancti✠fices; atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, vt quicumque ex ea ſumpſerit, ei gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propitiãte ab eo procul recedant. Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit, *&c.* *Reſp.* Amen.

Et aſpergat Aqua benedicta.

Alia Benedictio VINO propria.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum feciſti, qui es vitis vera, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & bene✠dicere & ſancti✠ficare digneris hanc creaturam vini, vt quicumque

ex

ex eo ſumet, diuinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur & ſanctificetur, & corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas, *&c. Reſp.* Amen.

Aſpergat Aqua benedicta.

Benedictio Olei.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

EMitte, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum tuum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mētis & corporis, vt tua ſancta benedictione ſit omnibus hoc vnguento cęleſtis medicinæ perunctis tutamen mentis & corporis, ad euacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis & corporis, & ſi quod illis aduerſantium ſpirituum adhęreat nocumentum, ad tactum & ſumptionem ſanctificati olei huius abſcedat; nullus ſpiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſp.* Amen.

Bene-

Benedictio quarumcumque MEDICINARVM.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SVmme Deus, qui summa & media imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis, sancti✠ficare, & bene✠dicere digneris hanc medicinam, & bene✠dictionem tuam super eam digneris effudere, vt per tuam sanctissimam virtutem, & copiosissimam benedictionem, per signum sãctæ Crucis✠ impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quæ hanc medicinam sumptura est, expellatur & annihiletur, tantamque virtutem merito Passionis tuæ, & viuificæ Crucis ✠ recipiat, vt omnes immundos spiritus, incantationes, ligaturas, signaturas, facturas, & omnia maleficia possit expellere & diuertere à famulo tuo qui ea vtetur, exhibeatque ei plenum sanitatis effectum. Per Dominum nostrum Iesum, *&c.* *Resp.* Amen.

Oremus.

BEnedico te, creatura medicinæ, in nomine altissimi Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti, qui te creauit pro tutela hu-

mani generis. Et rogamus te Dñe Deus noſter, vt hæc creatura medicinæ famulo tuo qui ea vtetur, in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare remedium, ſitque perfecta medicina in viſceribus eius. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Deinde aſpergat Aqua benedicta.

Benedictio THALAMI.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

BEne✠dic, Domine, thalamum hunc: vt omnes habitãtes in eo, in tua pace conſiſtant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum cum incolumitate mentis & corporis, & ad regna cælorum perueniant. Per Dñm noſtrum. *Reſp.* Amen.

Oremus.

CReator & conſeruator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor ęternæ ſalutis, tu Domine emitte bene✠dictionem tuam ſuper hunc thalamum, vt quicumque in eo requieſcet, in virtute cęleſtis defenſionis ad vitam æternam proficiat, & à ſuis languoribus & doloribus, omnibuſque inſidiis & machinationibus diaboli & miniſtro-

rum

rum eius liberetur. Per Dominum, *&c.* *Resp.* Amen.

Posteà aspergat Aqua benedicta:

Benedictio Cvbicvli.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEne✠dic, Domine Deus omnipotens, locum istum, vt sit in eo sanitas, castitas, victoria, fortitudo, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, Angeli tuæ lucis eum inhabitent, eumque & eius habitatores custodiant & defendant contra omnes insidias inimici; & si quę aduersa & contraria sunt ab eo in hoc loco machinata & fabricata, auctoritate maiestatis tuæ expellant. Per Dominum, *&c.* *Resp.* Amen.

Oremus.

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris, & bene✠dic locum istum dextera tua sancta, & omnes qui in eo commorantur; illumque visitare, & inhabitantibus gratiam sanitatis impertiri digneris, sicut benedicere dignatus es cubiculo & domui

in quo exceptus fuit hoſpitio Propheta Eliſeus; & ſicut viſitaſti & ſanaſti ſocrum Petri. Mitte Dñe ſanctum Angelum tuum de cęlis, qui liberet & defendat hunc locum ab imminentibus malis cum omnibus qui in eo commorantur, nullaque eos nequitia contrariæ poteſtatis infeſtet, ſed virtute Spiritus ſancti fiat hîc tibi debitum & deuota libertate ſecurum ſeruitium. Per Dominum noſtrum, *&c. Reſp.* Amen.

Deinde aſpergat Aqua benedicta.

Benedictio IGNIS quo cremabuntur ſigna malefica inuenta.

Verſ. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cælum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui aſſiſtit exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſeruitium ſpirituale & igneum eſſe cognoſcitur, dignare reſpicere, bene✠dicere & ſanctificare hanc creaturam ignis, vt eo combuſtis maleficij ſignis, omnes languores, omneſque infirmitates atque inſidiæ inimici effugiant & ſeparentur à plaſmate tuo. Numquam lædatur à morſu antiqui ſerpentis, quod pretioſo Sanguine Filij

tui

tui redemisti. Qui tecũ viuit & regnat, *&c.* *Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Benedictio THVRIS seu INCENSI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

PEr intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene✠dicere, & in odorem suauitatis accipere. Sit, quæsumus Domine, famulis tuis pretioso Sanguine tuo redemptis, defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, & omnes incantationes, prestigia, & diabolicas vexationes: sit perpetua expulsio malignorũ spirituum, & in quocumque loco odor huius incensi fuerit, nullum maleficium, nullaque molestatio diabolica possit perdurare, sed statim tua immensa potentia & virtute tollatur & abigatur per signum sanctæ Crucis ✠ tuæ. Qui viuis, *&c.* *Resp.* Amen. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, dignare bene✠dicere & sancti✠ficare hanc creaturam incensi, vt omnes languores om-

nesque infirmitates atque insidiæ inimici, odorem incensi huius sentientes fugiant procul, vt de cetero non audeant lædere, molestare, aut infestare creaturas tuas aut loca habitationis earum. Per te Iesu Christe saluator mundi, qui viuis, *&c. Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta.

Sequentes generales Benedictiones & Exorcismi possunt etiam prædictis rebus applicari, si quando quis longiores inquirit, vel necessarias putat.

Benedictiones ad quęcumque volueris assumenda in humanum vsum per modum cibi, potus, vel medicinæ.

Sacerdos vt suprà superpelliceo & stola indutus, vel saltem stola, dicat: Vers. Adiutorium nostrum in nomine Dñi. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. *Resp.* Et metuant eum omnes fines terræ.

Lectio libri Genesis. *Gen.* 1.

CReauit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volati-

latilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. *Resp.* Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam. *Luc.24.*

IN illo tempore: Dum recumberet Iesus cum illis, accepit panem, & bene✠dixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerũt eum. *Resp.* Laus tibi Christe.

Per Euangelica dicta, det nobis & huic creaturæ [his creaturis] Dominus suam sanctam gratiam & benedictionem, In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti. *Resp.* Amen.

Ex Psalmis.

DOmini est salus, & super populum tuum bene✠dictio tua. *Psal.3.*

Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Psal.132.*

Quod descendit in oram vestimẽti eius, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit Dominus bene✠dictionem, & vitam vsque in sęculum.

Psal. 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal bene✠dictione.

Psal. 23. Hic N. accipiet bene✠dictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Psal. 133. Bene✠dicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

Vers. Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Deus, adesto propitius inuocationibus nostris, & huic creaturæ humanis vsibus pręparatæ virtutem tuæ benedictionis infunde: vt mysteriis tuis seruiens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quicumque hac vsus fuerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est quod vtentium incolumitati inuidet aut quieti, effugiat, vt salubritas per inuocationem tui sancti nominis expetita, ab omnibus sit infestationibus defensa. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Ore-

Oremus.

DEus inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, ac magnificus triũphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas. Te Domine trementes & supplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam *N.* [has creaturas *N.* & *N.*] dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sancti✠fices: vt vbicumque fuerit [fuerint] in vsu adhibita [adhibitæ] ad honorem nominis tui, per inuocationem ipsius sanctissimi nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & presentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus vbique adesse dignetur. Per Dominum, *&c. Resp.* Amen. Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturã *N.* [has creaturas *N.* & *N.*] quam [quas] in vsum generis humani tribuisti, bene✠dicere & sancti✠ficare tua pietate digneris, vt sit [sint] omnibus eam [eas] adhibentibus salus mentis & corporis, & vbicumque fuerit [fuerint] applicata [applicatæ] tollatur omnis immunditia, & cesset omnis impugnatio spiritalis nequi-

tiæ. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS.

EXorcizo te, [vos] creatura *N.* [creaturę *N.* & *N.*] in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine Iesu ✠ Christi filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti; vt fias creatura exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Aspergat Aqua benedicta, dicens: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui bene ✠ dixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. *Resp.* Amen.

FINIS.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XIX.

LABORE ET CONSTANTIA

41116